SYNOPSIS APOSTASIÆ

34-3-B-13

MARCI ANTONII DE DOMINIS,

102

LECTORI SAL.

Monitum te cupio (benigne Lector) vt quo hæc ſcripta ſunt animo, eodem & ipſe legas. Experiri voluimus, num Apoſtatam, ordine quidem Sacerdotem, dignitate Archiepiſcopum, ſed natura & conditione (ne quid grauius dicam) hominem, humana leuitate peccantem, & delirantem, ſalutaribus monitis reducere poſſimus ad ſanam mentem.

Arguere illum noluimus alienis teſtimonijs: ſed ipſummet in cauſa ſua (quo nihil æquius) actorem, & reum; iudices, Scripturas ſacras & antiquos Patres conſtituimus. Quorum auctoritati ſi paruerit, reſipiſcentem ac redeuntem læti exci-

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

piemus, quem nunc transfugam & pereuntem iuſta commiſeratione proſequimur. Vel, ſi pudorem veritati anteponat, ſi in errore pertinax, obduratus in ſcelere eſſe velit; ſibi ille peribit, exemplo aliis futurus & ſaluti. Vale.

SYNOPSIS APOSTASIÆ

MARCI ANTONII DE DOMINIS,

Olim Archiepiſcopi Spalatenſis, nunc Apoſtatæ.

LIbellum tuum, Marce Antoni, quo conſilium profectionis tuæ exponis, nuper ab amico mihi in manus traditũ, cupidè ſtatim perlegi. Exſpectabã enim, vt diſceſſionis tuæ à Catholica, cauſam nouam & illuſtrem tantus Apoſtata afferres. Vbi nihil inueniſſem præter excuſationes vulgares, à priſcis Hæreticis nullo non ſæculo vſurpatas, longa conſuetudine ſordidatas atque detritas, mirari ſatis non potui *conſilium* tuum, quî tibi perſuaſeris, paucis foliolis aridis, maleque conſutis, ſcelus omnium maximũ atque turpiſſimum tam facilè tegi poſſe.

Nec ſolùm non affers, quo crimen ex-

cuſes; ſed ita teipſum incautus & neſcius detegis, vt ex ijs quæ libello tuo impreſſiſti veſtigijs, integra ſeries Apoſtaſiæ tuæ non modò deſignari & delineari, ſed plenè efformari poſſit. Itaque qui noſſe te velit, non eſt neceſſe vt longinqua perquirat, vel rumuſculis, qui ſemper incerti, ſæpiùs falſi ſunt, attendat, ſatis ſe ſuo ſorex indicio prodit: ex tuo hoc libello colliguntur, quæ, *quis fueris, quis modò ſis,* ſatis nimiumque oſtendunt.

Nos hinc Apoſtaſiæ tuæ Synopſin collegimus, ad quam nos euulgandam, quatuor cauſæ impulerunt. Prima, ne quis inani titulorum ſono, quo te principio libelli iactas, decipiatur, vt putet non eſſe

Præſcr.c.3 verum, quod ſcribit Tertullianus: *Nec prudentes, nec fideles, nec vſitatos exiſtimandos, quos hæreſes potuerunt demutare.* Secunda, vt hoc tuo noſtri reddantur exemplo cautiores, nec veſtigijs illius inſiſtant, cuius exitum meritò perhorreſcunt. Tertia, vt Angli Proteſtantes intelligant, ſe de te in ſuum dedecus gloriari, quem tam cupidè admiſerunt, & ominantur futurum fatalem Romæ ſcriptorem. Qui te norunt, quid dicent? prorſus inter cæcos

luſcum

luſcum regnare poſſe; mendicos quò ſe iactent, præter laceros pannos nihil habere; mortales quod vehementer volunt, etiam futurum, leuiſſimè credere.

Quarta verò cauſa te ſpectat, qui fructum ex hac Synopſi colligere vel maximum poteris: *Teipſum vt noſcas.* Scribenti mihi ſalus tua ob oculos verſata eſt. Pro quo Chriſtus eſt mortuus, ego non ſcriberem? ego ſcribēdi pro te labori parcerem? cùm Deus ſanguinem ſuum pro te fundendi non alium fecit finem quàm vitæ. Perlege tranquilla mente, quæ charitas dictauit; nec cogita quàm ſint dura quæ legas, ſed quàm vera, quàm probatà, Deo iudice, conſcientiâ tuâ teſte. Morbus tuus non eſt paſſus, vt lentè tecum & diſſimulanter agerem. Intima penetrauerat, viſceribus ſeſe infuderat; non potui in vitalibus altiùs latentem, ſine ſenſu & dolore tuo perſcrutari. Quæ te ſanent medicamenta, vel fortia ſunt, vel nulla ſunt.

Nihil autem fortius veritate, nihil homini ſuiipſius cognitione ſalubrius; radix malorum & errorum omnium ſeipſum ignorare eſt. Apoſtaſiæ pœnam, quæ omnium maxima eſt, ſeipſum neſcienti Pa-

ſtori, Chriſtus minatur: *Si te ignoras, egredere, & abi poſt veſtigia gregũ tuorum, & paſce hædos tuos iuxta tabernacula paſtorum.* Quem locum ſic enarrat elegantiſſimè Auguſtinus, vt planè tecum loqui videatur. *Niſi cognoueris teipſum,* (inquit) *exi. Non ego te eiicio: ſed tu exi. vt dicatur tibi ab his qui intro ſunt, Exiuit ex nobis, ſed non fuit ex nobis. Exi tu in veſtigiis gregum, non in veſtigiis meis, ſed in veſtigiis gregum: nec gregis vnius, ſed gregum diuerſorum & errantium. Paſce hædos tuos, non ſicut Petrus, cui dicitur Paſce oues meas. Paſce hædos tuos in tabernaculis paſtorũ: non in paſcuis vbi grex vnus, & vnus eſt paſtor.*

Cantic. 1. v. 7.

Auguſt. epiſt. 48.

Hanc pœnam (ſi verum fateri vis) in teipſo experiris: niſi vnà cum fide ſenſum omnẽ & mentẽ amiſeris. Non tu quidẽ eiectus à nobis es: ſed vltro exiſti. Vix egreſſus veſtigia ſemitasq; varias inueniſti doctrinarũ, Lutheranã, Caluinianã, Zvvinglianã, Anabaptiſticã, Arrianã, pugnantes inter ſe, aduerſasq;: progreſſus peruenis, non ad tabernaculũ vnius paſtoris, ſed ad tabernacula paſtorum, non tam numero perſonarum, quàm opinionum varietate multorũ. Iam tandẽ retroſpice, quâ ianuâ in hæc mala ingreſſus ſis. *Te non cognoras.*

Si

 106

Si te nouiſſes, non cogitaſſes nedum ſcripſiſſes, quod in huius libelli pagina 6. habes: *Non erubeſcam fateri me tantæ fuiſſe exiſtimationis in noſtris Prouincijs & Eccleſijs, quantæ quiuis alius.* Suffundi pudore modeſtiam decet, de ſe vera, comperta moderata narrantem; Tu nulli vel Venetæ ditionis vel Catholici orbis Epiſcoporum te prædicas ſecundum: nec Tu te dicis erubeſcere? Rectè mones, non ſolet Apoſtatam comitari verecundia. Nos certè Spalatẽſis Archiepiſcopi priùs fugá quàm nomen audiuimus. Septentrioni noſtro Marcus Antonius, facie priùs fuit, quã fama notus. Nuntiũ dignitatis & exiſtimationis ſuæ ipſe præuẽnit. Spalatenſem Primatẽ aliquẽ in Italia eſſe, plurimis Primas ipſe fugitiuus primus omnium nuntiauit.

Nec orbi tamen eras ignotior, quàm *tibi ipſi*: quæ cauſa fuit. vt nomen tuum libello quaſi lucem allaturum, cunctiſque notum, inſolenti titulo præſcripſeris:

Marcus Antonius De Dominis Archiepiſcopus Spalatenſis profectionis ſuæ conſilium exponit.

Sic librum tuum indigitas, quaſi vel eſ-

ſes Pythius Apollo fuſurus oracula; vel laturus populis legem Dictator; vel præſcripturus diſcipulis credēda Pythagoras; vel certè notus prioribus ſcriptis auctor, famā operi nominis celebritate facturus. Qui tamen tunc temporis (nam poſtea defectionis ſcelere innotuiſti) adeò eras ignotus, vt ad titulum non pauci obſtupuerint, nec defuêre qui quęrerent: Quis hic Marcus Antonius? Quam profectionem narrat; vagam, incertam, nec terminis incluſam? An vetus reuixit M. Antonius, Româque fugit in Ægyptum? Ille Antonius vino & luxuria nobilis, qui primâ fide violatâ, Romanam ſponſam, non minùs caſtitate quàm ſanguine illuſtrem deſtituit, Ægyptiæque ſe iunxit multis turpitudinibus infami? Sic de te homines, nouæ fabellæ adhuc ignari quęrebant, diuinabantque (nec poterant de prorſus obſcuro certiùs) ex Marci Antonij nomine. neque longè abibant à vero. Nam Romanâ deſertâ ſponsâ, violatâ primâ fide, te fœderas Lutheranæ ſoboli; quæ cùm paterno ingenio ſit Veneris non minùs egens quàm cibi (ſic enim de ſeipſo ſuiſq; ſequacibus impurus Apoſtata prædica-

Sermone de matrimonio.

dicauit) tu vinolentum Triumvirum & Cleopatræ nuptias vt nomine ſic vita imitaris.

PRIMA PARS

SYNOPSEOS APOSTASIÆ,

SEV

SCALA LAPSVS M. ANTONII

OCTO GRADIBVS CONSTANS.

IGitur quum veriſſima tuiipſius cognitione ſanari debeas, qui nimia tui ipſius exiſtimatione peccaſti, in barathrumque prolapſus es, hac *Synopſi* te quem à tergo poſueras oculis tuis ingero, Apoſtaſiamque tuam non tam legentium odijs, quàm tuis fletibus expono. Vide nunc tandem, quis fueris cùm Catholicus videbaris; quibuſque gradibus paulatim decideris in profundum. Gradus autem ſunt hi, Occulta ſuperbia, Secreta infidelitas, Suſpicax leuitas, Ieſuitici ordinis deſertio, Sacræ dignitatis ambitio, In dignitate pro Primatu pertinax contentio, Aper-

Aperta aduerſus Pontificem contumacia, denique De iudicio doctrinaque tua ſupra Eccleſiam pręſumptio. Hæc ſingula ſuo ordine, non vanis de populo rumuſculis, ſed certis, fereque ex tuo libello ſumptis argumentis euincam.

I. GRADVS.

Secreta ſuperbia.

HÆreſes variæ ſunt, regionibus quidem, ſed magis inter ſe moribus, ritibus, erroribus diſſitæ. *Sorores tamen* (inquit Auguſtinus) *omnes ſunt, eadem genitæ matre ſuperbia.* Nec minùs verè Gregorius, *Hæreticorum locus ipſa ſuperbia eſt. Quia niſi priùs in corde intumeſcerent, ad prauæ aſſertionis certamina non peruenirent.* Hæc etiam malorum tuorum origo fuit (Antoni) ſecretâ quâdam ſuperbiâ, erga vnionem omnium Eccleſiarum (quo prætextu nũc tandem Eccleſiam deſeris) iam pridem præ cæteris Catholicis ardere & ſapere voluiſti. Hanc pag. 9. prodis his verbis: *Fouebam* (ais) *à primis mei clericatus annis, in me innatum penè deſideriũ videndæ vnionis omnium Chriſti Eccleſiarum: ſeparationem Occidentis ab Oriente, in rebus fidei; Auſtri ab Aqui-*

De Paſtor. cap. 8. Moral. li. 3. c. 17.

Aquilone, æquo animo ferre nunquam potui. Cupiebam anxiè tot tantorúmque ſchiſmatum cauſam agnoſcere & perſpicere, num poſſet aliqua excogitari via omnes Chriſti Eccleſias ad veram antiquam vnionem componendi; idq́; videndi ardebam deſiderio; doloréque interno ex tot diſſidiis excruciabar, qui me mirum in modum conficiebat.

In his cogitationibus ſi nondum latentem ſuperbię fœtorem perſentiſcis; ego eas ampliùs commouebo. Omitto, quòd Græcum ſchiſma ſeparationem Occidentis ab Oriente appelles; cùm potiùs ſeparationem Orientis ab Occidente dicere debuiſſes. Neque enim nos à Gręcis, ſed à nobis illi receſſerunt. Non Eccleſia quæ diſceſſit, ſed à qua diſceſſum eſt, Latini ſumus. Quod fidei dogma cum Græcis aliquando commune deſeruimus? Illi cùm nouies, in nouem Concilijs Generalibus Romano Primatui (pace vnioneque factâ) ſubſcripſiſſent, toties, cum leuitatis dedecore reſilierunt. Nec minùs apertâ falſitate Lutheranam diſceſſionem vocas ſeparationem Auſtri ab Aquilone: quaſi à Septentrione in maiorum fidē permanēte, ſeſe Auſter (hoc eſt Roma, Italiaque)

ſeparaſſet. Non eſt ita. Quid enim notius, quàm Septentrionem, quo tempore Lutherus, Zvvinglius, Caluinus, primiquę Nouatores concionari cœperũt, Catholicum fuiſſe, Romaniſque dogmatibus quæ nunc execratur, imbutum? Separationem Romana Eccleſia non fecit; ſed paſſa eſt, Septentrione in noua dogmata dilapſo; qua priùs in fide fuerat, immota permanſit.

Nec cymbam portus, ſed portum cymba reliquit. Sed iſta non perſequar. Quia fortaſſis non tam ſuperbiæ, quâ pridem tacitè corrũpebaris; quàm noui erroris, quo nunc cæcutis, veſtigia ſunt.

Hoc certè immanis arrogantię fuit, vt nuper ſacris Ordinibus vixq; initiatus, totius Eccleſiæ iudicem te conſtitueres: Eccleſias, Latinam non minùs quàm Græcam; Romanam (cuius membrum eras) non minùs quàm Lutheranam, velut ſchiſmaticas ad tribunal tuum citares. *Volebam* (inquis) *ſeparationum, & ſchiſmatum omnium Eccleſiarum cauſam cognoſcere, viamq́ aliquam excogitare, eas ad veram & antiquam vnionem componendi.* Magnum opus (Antoni) vix generali Eccleſiæ concilio

cilio peragendum; nedum vnius clericelli, qualis tu tunc eras, humeris idoneum.

Sed quid neceſſe fuit cauſæ huius inquiſitioni te ingerere? Iam cauſam ſchiſmatum concilia cognouerant: iam Græcos Lutheranoſq; damnauerant: iam cum Cypriano defixerant, *nec aliunde ſchiſma-* Lib. 4.
ta & hæreſes vel obortas vel oriri, niſi quòd cap. 6.
Epiſcopus qui vnus eſt, & Eccleſiæ præeſt, ſuperbâ quorundã præſumptione contemnitur; &
homo dignatione Dei honoratus, ab indignis Cyprian. de vnit.
hominibus iudicatur: nec aliam eſſe vnionis, & Eccl. c. 3.
extinguendarum hæreſum viam, quàm vt ad vnitatis originem redeatur, ampleƈtanturq́; probationem Catholicam, facilem ad fidem, compendio veritatis, quam Dominus inſtituit,
ad Petrum loquens, Quia tu es Petrus, & ſuper Matt. 16.
hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Vt qui cathedram Petri, ſuper quam fundata eſt Eccleſia, deſerit, in Eccleſia eſſe non poſſit. Hæc vnica ſchiſmatum cauſa, hæc vnica ad vnitatem via, hęc Patrum Eccleſiæque ſententia, tibi eſſe non poterat (Ieſuitæ & Clerico) ignota, nec Catholico, (ſi verè eras) incerta. Cur igitur hoc Eccleſiæ iudicium tibi non ſatisfecit? cur aliam ſchi-

ſmatum

ſmatum cauſam aliamq; vnionis *viam excogitare anxiè quærebas?*

Iam tunc ſcilicet parturiebas, quod nunc demùm peperiſti; vel, vt parias, Eccleſiam deſeris, nouam quandam vnionis omnium Eccleſiarum, & mirabilem rationem, quâ omnes Eccleſię (licet inter ſe, & à Petri ſede diſſentiant) in vnum Eccleſiæ corpus ſub nullo vniuerſali capite aut principe, compingantur. In hac, vt putas, luce totus nunc exultas, cuius tum radiolum tibi Satan, in Angelū lucis transfiguratus infudit? Quid verò fuit hoc aliud, quā ſupra cęteros Catholicos, ſupra Cōcilia, ſupra Patres & Eccleſiam vniuerſam ſapere velle? Imò verò ſupra Chriſtūm ipſum: qui cùm Eccleſiæ ſuæ pacem conſtare non poſſe iudicaret, niſi ab vno regeretur, Apoſtolis Petrum præfecit: *vt in conſortio honoris eſſet quadam diſcretio poteſtatis; & capite conſtituto, ſchiſmatum tolleretur occaſio.*

Leo epiſt. 84. Hieron. aduerſus Iouin.

Si, quod fingis, vero animarum zelo, verè Catholicus arſiſſes, non nouas ſchiſmatū cauſás anxiè quæſiuiſſes: ſed à Patribus Concilijſque iam proditas, & in multorum perniciem graſſantes, amoue-

re laboraſſes. Non cunctas Chriſtianas Eccleſias, Romanamque cuius filius eras, cum cęteris indiſcretè confuſam, vano ſuperboque fletu perfudiſſes; ſed errantium à Romana nationum miſertus, has ad vnitatis originem reuocare verbo, exemplo, ſcripto, laboribus, periculis, vitâ denique in teſtimonium depigneratâ, ſtuduiſſes: hoc ſapientis, hoc diuinâ charitate flagrãtis, hoc Ieſuitę fuiſſet. Sed dum ſocij Ieſuitæ, alijque fidei præcones, pro vnione Eccleſiarum, pro ſchiſmatum extinctione ſanguinem ſuum ſudant: tu, ſcilicet, ardẽs animarum zelo, *innato* non infuſo, humano non diuino, domi noua conuerſionum itinera, nullius antè trita veſtigio, otioſus ſpeculator exploras. Sic euanuiſti in cogitationibus tuis; dum noua & rara anxiè perquiris, antiqua & obuia neglexiſti; dum ſupra ceteros in Catholica *pede ſuperbiæ* ambulare vis, *expulſus es* à Catholica, nec potuiſti ſtare.

II. GRADVS.

Secreta infidelitas.

NAm dum iudex omnium Eccleſiarum à teipſo conſtitutus, fidei, pacis, bellique arbiter ſedes, de fide Catholica

dubitare ipſe cœpiſti. Nempe, vt Apoſtata tandem eſſes, in fide dubius priùs eſſe debebas; ſtaretq; illud Hilarij: *Hæreſis imperfectum tentare poteſt, non poteſt ſupplantare perfectum.* Cyprianus verò: *Nemo exiſtimet bonos de Eccleſia poſſe diſcedere. Triticum non rapit ventus; nec arborem ſolidâ radice fundatam procella ſubuertit. Inanes paleæ tempeſtate iactantur; inualidæ arbores turbinis incurſione euertuntur. Hos execratur & percutit Ioannes Apoſtolus, dicens: Ex nobis exierunt, ſed non fuerunt ex nobis. Si enim fuiſſent ex nobis, manſiſſent vtique nobiſcum.*

Lib. 6. de Trinit.

De vnit. Eccleſ. c. 7.

1. Ioan. 2. 19.

Ita eſt, noſter non eras (Antoni) cùm noſter maximè videreris. dubiæ ſemper fidei & incertæ, propenſoque in hæreſim ingenio. Hoc qui te norunt, teſtantur; hoc de te ipſo non videris diffiteri; hocque duplici argumento ex tuis verbis demonſtrabo.

Nam pag. 8. *tentationes* (quas nunc *igniculos interni ſpiritus* vocas) *perpetuò ſenſiſſe* te ſcribis, *aduerſus certa putata Romanæ fidei dogmata, quibus*, inquis, *acquieſcere nunquam potui; neque à vehementi ſuſpicione, quæ me perpetuò, poſtquam in ſacræ Theologiæ ſtudijs adoleui, anxium habuit, penitus me liberare.*

Quæ fuerint, & aduerſus quæ fidei Romanæ dogmata, illa tentamenta non explicas. Liberum nobis relinquis, vt putemus te de Sanctiſſimę Trinitatis, de incarnationis & Euchariſtiæ myſterijs, alijſque perpetuò dubitaſſe. Sunt enim hæc Romanæ fidei propria dogmata, quæ contra priſcos hæreticos, multoſque ex nupero Euangelio reformatos ſeu potiùs deformatos conſtanter defendit. Neque dicas, te quidem tentationes ſenſiſſe, illis verò minimè conſenſiſſe, nec aſſenſum præbuiſſe. Hoc enim confutatur ex eo quod eadem pagina 8. ſcribis. *Quòd verò* (inquis) *libri Romanæ doctrinæ contrarij, ſtudioſis, & optimè erga Catholicam fidem affectis auferrentur, ſuſpicione rem non carere (prout ratio dictat) ſemper ſum arbitratus.* Planè fateris te non ſenſum ſed etiam aſſenſum dubitationum, aduerſus fidem habuiſſe; non tantùm fuiſſe tentatum, ſed etiam quod tentatio ſuggeſſit, arbitratum, Romanam doctrinam, ſi non falſam eſſe, tamen falſitatis ſuſpicione non carere.

Hinc ducitur ſecundum ſecretæ tuæ infidelitatis argumentum. Dicis te Romanam Eccleſiam, eò quòd libros ſuæ

doctrinæ contrarios amoueret, ſemper ſuſpectam habuiſſe. quid verò ſuſpicareris poſtea clariùs explicas: nimirum *latuiſſe aliquid in hæreticorum libris, cui conuellendo doctrina Romana non ſufficeret.* Accipio igitur quod fateris, te ſemper ſuſpicatum eſſe, Proteſtantium doctrinam eſſe Romanâ fortiorem. Quid hinc efficitur? te nunquam Catholicum, nunquam fide Romanâ verè præditum fuiſſe. Nam qui catholicè & chriſtianè credit, hoc primùm præcipuéque credit, ſuâ fide nihil melius poſſe aut ſanctius inueniri. Hæc perſuaſio ſi vacillans & fluctuans ſit, fides non eſt, ſperandarum rerum ſubſtantia non eſt, non eſt ſalutis firmum & immobile fundamentum. *Cùm credimus* (inquit

Præſcr.c.8 Tertullianus) *nihil deſideramus vltrà credere. Hoc enim primùm credimus non eſſe quod*

Ibid. c.11. *vltrà credere debeamus.* Et iterum: *Semel dixerim, nemo quærit, niſi quod perdidit, aut nunquam habuit. Si quod debueras credere, credidiſti, & aliud denuo putas requirendum; ſperas vtique & aliud eſſe inueniendũ: nullo modo ſperaturus, niſi quia aut non credideras, quod videbaris crediſſe, aut deſijſti iam credere. Ita fidem tuam deſerens, negator inueniris.* Tertul-

tullianus tecum loquitur, Antoni, tuam conſcientiam conuenit. Ais, te Romanam doctrinam infirmitatis ſuſpicione laborare meritò ſemper exiſtimaſſe. Verum dicis, an falſum? ſi falſum: quis te faſcinauit, vt in tuum caput mentiaris? Quî Pontifici quem odiſti parces, qui tibi ipſi non parcis? Qui ſibi nequam, cui bonus erit? Si verum: quomodo Catholicus & Romanus vnquam fuiſti, qui Romanam doctrinam, ſi non apertè falſam, tamen ſuſpicionibus obnoxiam, minimeque ſecuram ſemper iudicaſti?

Itaque cùm fidem tuam ſemper infirmam & nutabundam fuiſſe fatearis; non anxiè quærimus, de quibus fidei Romanæ *placitis*, aut myſterijs dubitaſti; ſed in præmium ingenuæ confeſſionis, vltro largimur, quod operosè niteris à nobis hoc ſcripto obtinere. Cupis enim, *ne diſceſſus tuus nobis pariat admirationem*. Æquum poſtulas, Antoni, & nobis ſalutare. Chriſtiani eſt, hæreſes quas Chriſtus venturas prędixit, vitare, non mirari: nec quidẽ ſi ſtellæ de cælo cadant; vel ex Epiſcopis, quos Matt. 24. v. 29. poſuit Chriſtus regere Eccleſiã, quam acquiſiuit ſanguine ſuo, *exſurgant viri mẽdaces*,

ces, loquenteſq́ꝫ peruerſa. Miriones verò (vt ait Tertullianus de quibuſdam perſonis, qui vel docti vel ſancti videbantur, è Catholicâ lapſis in hæreſim) *ædificantur in ruinam. non intelligunt, nos cum Eccleſia Doctores recipere, non cum Doctoribus Eccleſiam deſerere debere, neque ex perſonis probare fidem, ſed ex fide perſonas.*

Præſcr.c.3.

Tert.præſ. cap.3.

Enimuerò, cur te cecidiſſe miremur; qui te fateris ſtabilem nunquam fuiſſe? *Graues viros & ſemel ſupra petram ſolidâ ſtabilitate fundatos, non dico* (inquit Cyprian.) *aurâ leui, ſed nec vento, nec turbine commoueri*. Hi ſi caderent, iure fortaſſis mirandum foret. Qui verò *Petræ (quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ)* nunquam firmus adhæſiſti, qui mentis elatę vela, nouitatum ventis expanſa ſemper habuiſti; qui Romanæ Eccleſiæ certa dogmata infirma ſemper es ſuſpicatus; quid mirum, ſi dubius & incertus, variis opinionibus, velut quibuſdam ventorum incurſantium flatibus, à propoſito tandem palàm aperteque dimotus ſis? fides quæ intus cecidit, diu ſtantis ſpeciem, foris retinere non potuit.

Epiſt. 52. ad Anton.

Aug. in pſal. cont. part. Donati.

III. GRADVS.

Suſpicax leuitas & mobilitas.

IAm verò, ſi cauſas dubitationum tuarum inſpicimus, ſaltem eas quas ſcripto hoc prodis; ſtatim ſuſpicioſiſſima leuitas, quouis flatu agitabilis apparet. Errores quidem, abuſus, nouitates innumerabiles Romanę Eccleſiæ obijcis: ſed obijcis verbo tantum: ſpeciatim verò, ne nominas quidem, nedum probas. Duo verò definitè vrges fluctuantis animi tui incitamenta, quorum leuitatem aperiemus.

Alterum eſt (inquis pag. 8.) *tam exacta & rigoroſa, & Romana & domeſtica diligentia, quâ oculatiſſimè cauetur, ne libri Romanæ doctrinæ contrarij à quoquam noſtrûm teneantur, vel perlegantur. Vulgo meritò prohiberi cenſebam. Quod verò ſtudioſis & optimè erga Catholicam fidem affectis, & ſanâ doctrinâ pollentibus penitùs auferrentur: ſuſpicione rem non carere, (vt ratio meritò dictat) ſemper ſum arbitratus. In quibus abſcondendis, ſupprimendis, perdendis, adeò laboratur: vt hoc ipſo, latêre aliquid in illis liceat ſuſpicari, cui conuellendo doctrina noſtra non ſufficiat.* Duo dicis: Primò, te Romanam doctrinam, eò quòd

libros aduerſariorum prohiberet, ſemper ſuſpectam habuiſſe. Alterum; hoc ipſo, quòd libros aduerſariorũ proſcribat Eccleſia, de doctrinæ eius firmitate iure meritoque dubitari. Primo dicto, prodis mobilitatem animi tui: ſecundo verò, etiam impietatem.

De primo: quanta leuitas & inconſtantia, ab Eccleſia tam vana ſuſpiciunculâ abalienari? ab ea præſertim Eccleſia quæ te Chriſto genuerat: *in cuius gremio* (Auguſtini verbis vtor) *multa te retinere iuſtiſſimè debuiſſent: conſenſus populorum & gentium: authoritas miraculis inchoata, ſpe nutrita, caritate aucta, vetuſtate fundata: ab ipſa ſede Petri Apoſtoli, cui poſt reſurrectionem ſuam oues Dominus commendauit, vſque ad præſentem epiſcopatum ſucceſſio ſacerdotum: poſtremò, Catholicum nomen, quod non ſine cauſa inter tam multas hæreſes iſta Eccleſia obtinuit.* Sed libros aduerſariorum, quâ poteſt diligentiâ abſcondit, ſupprimit, perdit. Sapienter & piè filijs ſuis conſulit mater, ouibus paſtor, conſeruis ſuis *ſeruus ſeruorum, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam.* ſuæ curæ commiſſos à venenato pabulo arcet:

Cont. epiſt. fund. c. 3.

Luc. 22.

ne

ne lethales cibi inferantur, oculatiſſimè proſpicit. Quid in hoc inſtituto peccati eſt? Non eſt diffidentia hæc, ſed prouidentia: nec conſulitur infirmitati doctrinæ, quæ diuina eſt; ſed tenuitati & inconſtantiæ mentis humanæ. Satis enim experientia confirmat, nec ipſe tu negas, quod affirmat Auguſtinus: *quoſlibet errores fucari poſſe, vt imperitorum animis per ornatam ianuam libenter obrepant.* **Cont. epiſt. fundam.** Quis verò non videt, ſi regionibus ab hæreſi intactis, contagioſi libri paſſim inferantur, in gratiam vſumque doctiorum: fieri vix, aut ne vix quidem poſſe, quin ad indoctorum manus perueniant? præſertim ſi tanto numero communicari debeant, quanto tu vis, omnibus nimirum *Epiſcopis & Theologis,* **Pag. 9.** *qui ſtudia plenè peregerunt*: imò verò ſtudioſis & auditoribus, vt videant an hæreticorum teſtimonia à Magiſtris bona fide citentur. Sed hæc nimia turba eſt; ſapienter verò Catholica ſatius eſſe duxit, doctos qui tutò degunt, carere vel curioſitatis vano ſolatio, vel eruditionis non neceſſario adminiculo: quàm imperitos peſtiferæ mercis inuectione, in

manifeſtum diſcrimen ſalutis adduci. Neque verò, quod tu cenſes, tantum vulgares homines iudicio & diſcretione deſtituti, falſitatis imbibendæ periculis exponuntur; credo, bubulcos intelligis, paſtores, cerdones, pellioneſque: cùm tamen hoc hominum genus ſua ſimplicitate ferè tutiſſimum ſit, niſi aliorum exemplo magis & auctoritate, quàm propria lectione peruertantur. Vulgo quidem periculum imminet; ſed vulgo peritorũ doctorumq́; in quo numero ſępe reperiuntur non pauci temerario & ardenti ingenio, ſacrâ doctrinâ tincti potiùs quàm imbuti. Sibi, ſæpe etiam populo, litterati, Catholici & conſtantes videntur; cùm tamen reuerâ tui ſimiles ſint, facilè à fide demutabiles, indocti, pronique, qui ſua phantaſmata velut diuina oracula venerentur. Quapropter, nemo Catholicus, niſi planè leuis, vſuſque & intelligentiæ expers, reprehendet Romanam ſollicitudinem, ne libri damnatæ lectionis tumultuariò & temerè perlegantur ab iis, qui docti habentur, ſed cum delectu, maturo conſilio, habitaq; ratione locorum, temporum, perſonarum, cauſarumque.

Quòd

Quòd ſi quis non impiâ leuitate, vt meliorem fortaſſis fidem inueniat; non periculoſâ curioſitate, vt eâ lectione eruditior fiat, ſed eâ mente legere velit, vt confutet; Catholica nunquam facultatem negabit, ſi charitas vrgeat, & pares oneri iudicentur. Quid hîc non conſilij prudentiæque pleniſſimum? quid ab Eccleſiâ priſcis ſæculis non vſurpatum? Ante annos plus minus octingentos, ſeptima Synodus Oecumenica *Nicena ſecunda* canone 9. ſtatuit vt libri hæreticorum, quos damnauerant, ad *Epiſcopum Conſtantinopolitanum* deportarentur, ibi cum *libris aliorum hæreticorum* recondendi. Dices vulgo canonē hunc præſcribi, non Theologis, nedum Epiſcopis. Audi quid ſequitur. *Si quis autem hoc celauerit, ſi ſit Epiſcopus vel Presbyter vel Clericus, deponatur: ſi laicus aut Monachus, anathematizetur.* Quid clarius? Leo verò Pontifex doctrina & ſanctitate Magnus, ſed officio maximus, non minore ſollicitudine præcipit, *vt ſacerdotali* Epiſt. 48. *quàm maximè diligentia prouideatur, vt hæreticorum libri à diuina ſinceritate diſcordes in nullo lectionis vſu habeantur, quidam verò etiam flammis quamprimum aboleantur.*

Car-

Carthaginenſe autem Conciliũ quartum, veriùs quintum, D. Auguſtini tempore celebratum, legendos hæreticorum libros non Epiſcoporum curioſitati, vel cupiditati indulſit, ſed ad temporis & neceſſitatis terminos reuocauit. Canone 16. præcipiens; Epiſcopi hæreticorum libros legant pro neceſſitate & tempore. An non hæc Romana praxis, priſca, pia, plena prudentiæ? Quid non reprobi rapiant ad ruinam, qui tam ſalutari conſuetudine offenduntur? Ex floribus haurit araneus venenum; puriſſimæ roſæ tactus fragrantiâ ſcarabæus emoritur; Iudæis *flos ille florum*, cuius odore viuimus, fuit odor mortis ad mortem. Te verò, Antoni, Eccleſiæ in abolendis hæreticorum libris pietas ſcandalizat, prudentia excæcat; maternam curam trahis ad calumniam, *& in acerba odia cauſas amoris inflectis.*

Aelian. lib. 4. c. 18.

Alterum verò dictum tuum, Eccleſiam Romanam, quæ tantâ diligentiâ proſcribit aduerſariorum libros, hoc ipſo *de doctrina iure meritoq́; poſtulari*: non ſolùm per ſe falſum, ſed etiam ſequelâ impium eſt. Quod enim per ſe, & hoc ipſo de re quapiam dicitur, de omni re tali dicitur; vt

Phi-

Philoſophi tradunt,neque vllus qui quod dicit intelligit, negauerit. Itaque quod Eccleſię Romanæ per ſe & hoc ipſo,quòd libros aduerſariorum proſcribat, conuenit; certè etiam omni Eccleſiæ aduerſariorum libros pari diligentiâ proſcribenti conueniat neceſſe eſt? Hoc verò ſi concedas,Eccleſiæ antiquæ cauſa conclamata eſt: hac tuâ doctrinâ, rurſus ad vitam hæreticos, qui libris exuſtis reciderant in cineres, reuocabis. Nam quâ diligentiâ primitiui Patres & antiquiora Concilia libros aduerſariorum prohibuerint, iam diximus.

Patrum verò ſollicitudinem Chriſtiani Principes & pij ſuis edictis ſecuti ſunt. Iuſtinianus, qui quintæ Synodo generali Imperator interfuit, Seueri hæretici à Synodo damnati ſcripta ſuâ lege, quæ in eadem Synodo actione I. fuit lecta, prohibuit. *Ne maneant* (inquit) *Seueri ſcripta penes aliquem Chriſtianum: ſed ſint prophana & aliena ab Eccleſia Catholica, igneq́ comburantur à poſſidentibus, niſi qui ea habeant velint periculum pati.* Pari ſeueritate Theodoſius & Valentinianus, vterque primus, Imperatores, codices ab hæreticis compoſi-

V. Synod. general. act. 1. & in Nouel. conſt. 42.

Habetur in 5. General. Synod. collat. 5. poſitos proſcribunt. *Nemo eos codices audeat legere, poſſidere, aut ſcribere. Quos oportet omni cum diligentia inquiri, & vbicumq; inuentos publicè coram omnibus comburi. Qui verò tales libros habuiſſe deprehenduntur, perpetuo tradantur exilio.* Sed omnium ſeueriſſimum *Conſtantinus Magnus* Imperator, *Niceph. lib. 8. c. 25.* aduerſus Arrij libros edictum tulit. *Si quod ab Arrio ſcriptum reperiatur, vt igni tradatur, volumus: vt non modò improba eius doctrina abrogetur, verùm etiam ne monumentum eius relinquatur. Illud equidem prædictum volo; ſi quis libellum aliquem ab Arrio conſcriptum celare, nec continuò igne comburere deprehenſus fuerit, ſupplicium ei mortis eſſe conſtitutum. Illico namq; in crimine tali comprehenſus, pœnam ſuſtinebit capitalem.* Quàm rigidè, quàm ſeuerè Conſtantinus? Quid ad hæc Patrum & Principum decreta Antoni? An verò in Arrij, Neſtorij, Eutychetis, & Seueri ſcriptis, hoc ipſo, quòd tam rigidè proſcripta fuerint, latuiſſe aliquid ſuſpicaberis, cui conuellendo doctrina Chriſtiana non ſuffecit? Non ita blaſphemus ſis; paucis dixerim: ſi priſcæ Eccleſiæ in hæreticorum libris prohibendis & perdendis ſeueritatem neſcis; ignarus es: ſi

ſi noſti, & hoc ipſo hæreticorum illorum argumenta Catholicis fortiora ſuſpicaris; impius es: ſi pari in cauſa, priſcâ Eccleſiâ abſolutâ modernam vexas; iniuſtus es.

Sed iam alterum incitamentum ſuſpicionum ac dubitationum tuarum diſpiciendum eſt, quod contigit, cùm iam Epiſcopus Patres verſare inciperes; nam antea, nec quidem à limine ſalutaras. Sic autem pag. 13. rem narras. *Obſeruaui in theoricis, dicta Patrum valdè communi doctrinæ, quâ imbutus in ſcholis fueram, in multis repugnantia: & ea vel prætermiſſa à meis Magiſtris, vel non fideliter adducta, vel non ſufficienter, aut etiam perperam explicata. Inde Eccleſiaſticæ diſciplinæ, ſpiritualiſq; regiminis, noſtrorum temporum praxim & formam à veteri plurimum diſſidentem. vnde meæ iam dictæ ſuſpiciones, non leuibus ſunt auctæ incrementis?* Ita tu. Verè autem de te, tuique ſimilibus, Spiritus ſanctus. *Occaſiones quærit, qui vult recedere ab amico.* Vndique enim, etiam in rancidis Magiſtrorum tuorum manuſcriptis, captaſti calumnias, quibus Eccleſiam onerares, quam deſerere ſtatueras, nec tamen niſi leuiſſimas inueniſti, quibus ad deſerendum priuatum amicum (nedum *Prou.1.*

Ec-

Eccleſiam Catholicam) nemo probus aut prudens moueretur. Inueniſti dicta Patrum valdè communi ſcholæ doctrinæ in multis aduerſantia, vel prætermiſſa à Magiſtris tuis, vel non fideliter adducta, vel perperam explicata. Primùm dicis hæc omnia, probare autem nec vales nec verò conaris: & tamen Catholicis diſceſſum túum probatum vis. Tuúmne aduerſus Eccleſiæ Magiſtros ſtabit verbum nullâ probatione ſubnixum? Catholici aduerſus Catholicam tibi credent deſertori, inimico? Hoc ab illis poſtulaueris impudenter, ſtultè ſperaueris. Sed vt vera ſint, quã leuia, quàm ridicula, quàm nulla ad leniendum Apoſtaſiæ tuæ crimen? Magiſter tuus in ſcholis quædam Patrum teſtimonia non plenè vel etiam perperam explicauit: ad magnas ſcilicet te redegit anguſtias. Deerant fortè in Catholicâ docti viri, qui tibi laboranti ſuppetias ferrent, ſi minùs Magiſter ſatisfecit? Non fideliter aliquando verba adduxit. Quàm facile, quàm quotidianũ publicè dictantium Magiſtrorum verba, non perfectè aſſequi amanuenſem? nec tamẽ quæ prælegantur in ſcholis, tam ſunt exacta, quàm

quæ prælo elaborantur. Quædam penitus omiſit. magnum Ædipol crimen. Tu verò tam peregrinus es in ſcholarum negotijs, vt non intelligas, non poſſe Magiſtros, vno quadriennio, quo Theologiæ curriculum diſtringitur, omnibus Patrum teſtimonijs, quæ aduerſus Catholicam doctrinam à varijs ſectis obijciuntur, plenè atque integrè reſpondere? multa neceſſariò omittenda quæ poſtmodum diſcipuli priuato ſtudio perſequantur. Sed doctrinæ valdè in ſchola communi, quædam dicta Patrum aduerſabantur. Hoc ita confusè prolatum, ſæpe accidere quis neſcit? quis negauit? nec deſunt exempla. Theologorũ conſenſio eſt ſeptem quibus Deus mundi fabricã abſoluit dies veros fuiſſe, cæli circuitione, lucis ortu occaſuque definitos: quis autem neſcit D. Auguſtinum refragari? Angelos non fuiſſe ante mundum conditos, ſchola conſentit: Nazianzenus verò, magnũ Græciæ lumen, mundo priores exiſtimat. Poſſem ſimilia plura; ſed cui bono? quid hæc excuſant Apoſtaſiam tuam? Illa dicta Patrum tuæne ſectę patrocinabantur? neque quæ tua ſit ſecta dicis: neque illa Patrum dicta illi fauere

apertè dicis. Quòd ſi diceres, iure probationem requireremus. Denique ſi (quod dicis, nec probas) *Eccleſiaſtica diſciplinæ moderna praxis à priſca in plurimis diſſideret*, quid inde efficies? Vides variari tempora, cum temporibus homines, cum hominibus conſuetudines: Eccleſiaſticę prudentiæ eſt, temporum perſonarumq; circumſtantijs leges ſuas ac ſtatuta accommodare. quo ſenſu rectè ſcripſit Auguſtinus, *Priora Concilia nonnunquam à poſterioribus emendari.* Itaque nihil ſolidi affers, Antoni, ſed verba, nugas, ineptias, quibus cùm alienior fias à Catholica, calamo mobilior es. Abi igitur, quoniam ita vis: nos abeunti Tertulliani illud acclamabimus: *Auolent, quantum volent, paleæ leuis fidei, quocunque affiatu tentationum: eo purior maſſa frumenti, in area Domini reponetur.*

Lib. 2. de baptiſ. c. 3.

Præſcr. c. 3.

IV. GRADVS.

Ieſuitici Ordinis deſertio.

TRes priores ad Apoſtaſiã gradus interni fuerunt, pectuſq; tuum ſecretâ ſuperbiâ, infidelitate, temeritateq; impleuerant, quam tandẽ neceſſe fuit erumpe-

re; paulatim labi debebas, magnæq; huic ab Eccleſia Apoſtaſiæ; Ieſuitici Ordinis deſertione preludere. Chirurgus dentem extracturus, priùs filo circumligatum verſat in ipſo loculamento, crebraque agitatione radicitus luxat, redditq; ſequacem: ſic humanæ ſalutis hoſtis, quem ex Catholica tandem meditatur euellere, priùs in ipſa Catholica crebris demutationibus hinc inde verſat ac luxat; nec diffidit, ſe facturũ veræ Religionis deſertores, quos iam reddidit religioſæ perfectionis exſortes. Ieſuitã, Antoni, fuiſſe te ſcribis, ac quaſi gloriaris: cùm tamẽ nõ cœpiſſe, ſed perſeueraſſe coronetur. Ne guſtemus melanuros Pythagoras monet. Quid ni dictum trahatur, vt auerſemur Apoſtatas, verè melanuros; qui religiosè candideq; actam adoleſcentiam denigrant turpitudine ſenectutis? qui cùm *ſpiritu cœperint, carne conſummantur*; qui cùm religioſis familijs nomina dederint, deinceps *ſegregant ſemetipſos, animales, ſpiritum non habentes.* *Iud. v.16.*

In horum numero tu es, ſed eſſe diſſimulas. Narras Ieſuitas promotionẽ tuam ægrè tuliſſe, quòd vtilem operarium experirentur. Videri vis non deſeruiſſe Ieſuitas,

tas, ſed ab illis in Epiſcopum tranſiiſſe. Nemo qui Ieſuitas nouit hoc credet. Ieſuitæ ſuis dignitatum ambitum ſeueriſſimè interdicunt: ſi quis ambijſſe detegitur, ex eorum Ordine proijcitur. Pontificem (ſi fortè Ieſuitam inuitum promouere cogitet) vbi id reſciuerint, ne pergere velit, per ſe, per amicos fatigare non deſinunt. Nec ſolent Pontifices Ieſuitas euehere, niſi inſignis Eccleſiæ neceſſitas vrgeat, vel magna ſint promouendi in Eccleſiam merita, vt ad alios excitandos, eâ dignitate, quaſi remunerari publico bono ſit. Quid igitur mouerit Pontificẽ, vt, aduerſis Ordinis florentiſſimi votis, Reguliſque renitentibus, nouo exemplo, tè Ieſuitam, Segnienſem Epiſcopũ crearet? Segnienſis Eccleſiæ neceſſitas hoc poſtulabat; hæreſis ingruebat; hydræ par Hercules quærebatur, non inueniebatur in cætera Italia; eligi debuit Ieſuita, & ex Ieſuitis, qui cæteris emineret. is tu es Marcus Antonius? da veniam; non credimus. Nihil de Segnienſis Eccleſiæ tanta vel dignitate vel neceſſitate inaudiuimus, cur tantum Heroa eam prouinciam, *extra ordinem* ſortiri oportuerit.

Sed

Sed dices, Pontificem tuis meritis inductum, nec tam Eccleſiæ neceſſitati proſpexiſſe, quàm gloriæ, quam voluit te Præſule irradiari; noluit tantam lucernam ſub Ieſuitarum modio diutiùs abſcondi; *ſuper candelabrum poſuit; vt luceret omnibus qui in domo ſunt.* Nimirum nominis tui fama tantus excreueras; vt Ieſuitarum per orbem diffuſus Ordo te non caperet; numeroſus ille virorum virtute & eruditione præſtantium cœtus, infra tuam amplitudinem fuit. Sed dic ſodes, quibus laudibus innotueris? ſanctitatiſne? virtutum tuarum miranda & exempla tu narra, qui ſolus noſti, cæteri ignorant. Ingenij fortè? profer monumenta, quibus vel humaniores litteras, vel ſeueriores diſciplinas, illuſtraueris. Sacræ doctrinæ? tot noſtri ſæculi hæreſum vel vnam numera, quam tuis ſcriptis oppreſſeris, vel leuiter (adhuc Ieſuita) concuſſeris. In Ieſuitarum catalogo, quem ſuorum Scriptorum toties auctum edidere, tu nullus es, ne quidem numeratus in millibus.

Video quid dicturus ſis: te non ſcribendo, ſed concionibus tibi nomen comparaſſe. Nam in cæteris tuis laudibus hoc

numeras, quòd te in templis ſuis, vt ſacras conciones haberes, non rarò Ieſuitæ voluerunt, Solent (vt audio) in Italia, Ieſuitæ tenues interdum concionatores conſtituere in Eccleſiis ſuis, vt inſigniores tantiſper poſt quadrageſimæ labores reſpirent, populuſque ad meliores audiendos vbi deſueuerint, cupidiùs accedat. An hac in re, tuâ fortè ſunt vſi operâ Ieſuitæ, vt ſcilicet tædio tui, populo famem Eccleſiaſtæ eruditioris accenderes? neſcio. Hoc ſcio, te Ieſuitam concionibus non inclaruiſſe, ſi vera tu de teipſo narras. Nam de teipſo iam Epiſcopo, ſcribis pag. 12. *Et quoniam proprium iam meum munus Epiſcopale concionandi agnoſcebam: Sermonarios Quadrageſimaliumq́; libros, de more arripui euoluendos.* Quis non ſtatim videat, te his fateri verbis, rudem te & nouitium in concionibus fuiſſe, cùm Epiſcopus renuntiareris? Exercitatus iam & doctus concionator ad Sermonarios, & illa tironum ſubſidia confugiſſes? Quòd ſi iam Epiſcopus Sermonariorum ope, & Quadrageſimalium commeatu pro concionibus egebas; facile eſt diuinare, quàm ieiunus adhuc Ieſuita fueris, quo tempore Sermonarios

rios necdum euolueras. Nec dicas ſanctorum Patrum lectionem, concionibus tuis materiam cùm Ieſuita eſſes, ſubminiſtraſſe. Ante Epiſcopatum enim, ſanctos Patres non attigeras: quod ex eo probatur, quòd cùm Sermonarij tibi nauſeam ſtomachumq; mouiſſent, *Omiſſis* (inquis) *turbidis riuis, ad ſanctorum Patrum fontes omnino mihi ſtatui accedendum; quorum lectione pro concionibus delectari cœpi.* Quid clarius? Ad ſanctos Patres demum Epiſcopus acceſſiſti; & eorùm lectione cœpiſti pro concionibus vti.

Itaque cùm præſidiis ijs deſtitutus fueris, quibus gloria comparari ſolet: quî credemus, te potiſſimum ex Ieſuitis electum, qui Præſul Eccleſiam illuſtrares? Si Pontifex, Ieſuitâ Præſule ornandam Eccleſiam cenſuiſſet; non deerāt ex illo Ordine, doctrinâ & ſanctitate præſtantes. Dedecoroſum fuiſſet te eligi: quem nec conciones, nec ſcripta, nec doctrina, nec ſanctitatis opinio, nec vlla in Eccleſiam merita commendabant. Non eſt igitur, quòd glorieris, te Ieſuitam fuiſſe: quo glorioſior Ieſuita manſiſſes, hoc turpior defeciſti. Corruptio optimi (vt ait Philoſo-

 phus)

phus) peſſima eſt. Quæ luci fulgidiſſimæ aduerſantur tenebræ, denſiſſimæ ſunt. Quod à pulcherrima virtutum deficit, vitium eſt teterrimũ. Acetum quod ex nobiliſſimo vino degenerauit, acerbiſſimum eſt. Exemplum tu es, verum eſſe, quod ſe expertum ſcribit Auguſtinus: *nec ſanctiores, quàm qui in monaſteriis perſeuerant; nec his qui defecere, nequiores.* Altiùs ſe mergunt in cœnum ſaxa, quo celſioribus montibus pinnisue depulſa cecidere. Hoc intelligebat *Gregorius* XIII. Pontifex ſapientiſſimus æui noſtri, quod Magni Gregorij virtutibus coruſcare fecit, qui Ieſuitas vt amabat, ſic probè penituſque cognouerat. Hic autem, cùm exhiberetur illi à Cardinale Cenſore Apoſtolico (quem Datarium vocãt) dignitatis Eccleſiaſticæ Candidatus qui ex Ieſuitis fuiſſet: conſulendum priùs Generalem de cauſa diſceſſionis voluit, monitumque ſubiunxit tantâ prudentiâ rerumque vſu dignum: Ieſuitarum deſertoribus (inquit) victui veſtituique neceſſaria ſuppeditentur; ſunt enim plerumque honeſtè educati, ſunt docti, ideoque iuuare Eccleſiam poſſunt. Eccleſiaſticis verò dignitatibus nullo modo adhibeas;

hibeas: neque enim deſeruiſſent Ordinem ſuum, niſi læſo cerebro eſſent. Hæc ſapientiſſimus Pontifex. Quæ etiam ipſa ratio confirmat. Natiui enim caloris teſtimonium eſt ac roboris, in humano corpore, poſſe excernere vitiatos humores: Nullâque re aliâ magis commendatur apud omnes Ordo Ieſuitarum, quàm quòd vix inter illos conſpicias quenquam à pietate aut religione deficere, quin priùs ab ipſo Ordine excernatur. Tu verò, qualis inter Ieſuitas vixeris, Antoni, ab ijſq; diſceſſeris (vel te tacente) exitus haud obſcurè docet. Vides ergo, inde dedecus tibi & probrum creari, vnde exiſtimationem & gloriam imprudens aucuparis.

V. GRADVS.

Ambitio Epiſcopatus.

SEquitur in deſcenſus tui ſcala, dignitatis ambitio, *ſubtile malum, ſecretum virus, peſtis occulta, doli artifex, mater hypocriſis, liuoris genitrix, vitiorum origo, criminum fomes, virtutum ærugo, tinea ſanctitatis, excæcatrix mentium*: vt Bernardus loquitur. Hæreſum certè parens, quas Chriſtianæ Eccleſiæ inuexit. *In pſalm. 90.*

 The-

Thebulis enim quidam (vt ex Hegeſippo refert Euſebius li.4.c.21.) eò quòd in Epiſcopatus petitione repulſam tuliſſet, Eccleſiam (eatenus virginem) labe erroris inficere conatus eſt. Inquietum hoc malum præcipuum eſt, quod te vexauit, afflixit, proſtrauit. Epiſcopali onere, (cui par non eras) depreſſus in voraginem, iaces; æternumque, quod veremur, iacebis.

Si dicas te Epiſcopatum minimè ambiiſſe: poſſúmne ex tuo te libello falſitatis arguere? Sedulò quidem tegere conaris hanc tuam non ſatis decoram gloriæ cupiditatem, tamen quædam, quæ ſatis eam prodant, tibi neſcienti voces erumpunt. *Ad regimen Eccleſiæ* (inquis) *tandem ſum iam ante annos viginti promotus, & factus Epiſcopus Segnienſis.* Quid illud ſignificat, *promotus ſum tandem?* niſi, quod diu optaueram conſecutus ſum. Sera quidem, ſed tamen

Incidit in caſſes præda petita meos.

Vox illa *tandem* ſatis inſinuat promotionem tuam tibi ſeram viſam fuiſſe; quæ ſera videri, nec annis, nec meritis tuis poterat. Nam fateris, quòd factus Epiſcopus, nec quadrageſimũ annum attigeras, nec ſacram Scripturã perlegeras, neque ſan-

ctos

ctos Patres euolueras. Quomodo igitur *tandem*, &, quod videris innuere, *ſerò promotus*? Vota feſtinabant tua, Antoni; dignitas, quę primos tuos Epiſcopatui aptos annos ſtatim conſecuta eſt, merita verò multo præcucurrit, lenta tibi & tarda videbatur. Spes quæ differtur, affligit: etiam properata veniunt ſera, cupienti.

Præterea (quod etiam inſinuat ambitionem tuam) dicis, te promotum Patribus tuis Ieſuitis id ægrè ferentibus. Ieſuitæ dicuntur nihil ægrius in ſuis quàm dignitatis ambitum ferre. Tiaris etiam illis, quæ inuitis ſuorum capitibus imponuntur, onerari Ordinem ſuum potiùs exiſtimant, quàm ornari; cupitis verò quęſitiſque purpuris quàm maximè deturpari. Quem Ieſuiticum ambitionis horrorem vanè detorques in laudem tuam; quaſi non tuam vicem, ſed ſuam Ieſuitæ doluiſſent, quòd tanto priuarentur operario; qualis ſcilicet tu eras, *non inutili, non otioſo, ſed impigro*. Ita te deprædicas; neque tamen cùm Epiſcopus fieres, Ieſuita tu eras: neque Ieſuitis tanta operariorum in Europa penuria, qui te digniores in Indias ſæpe ſubmittunt. Aegrè fortè ferebant

pro-

promoueri, quem norant indignum, ad nouitates pronum, quem forte verebantur futurum non ſatis in Catholica fide conſtantem. Præſagiebant etiam animis viri ſapientiſſimi, hoc magnum, quod tibi iam accidit malum, flebantque te vittis illis & infulis in tuam multorumque perniciem decorari: eoque lugebant acerbiùs, quo te lætiorem cernebant, eo tempore, quo maximè flẽdus eras. Quid enim miſerius miſero non miſerante ſeipſum, ſed exultante, cùm ipſi onus imponitur Angelicis humeris formidandum?

Grande peccatum peccaſti, Antoni, qui conſcius tuarum miſeriarum, ſuſpicionum, dubitationum perpetuarum, indieſque creſcentium aduerſus Catholicam fidem, primatum affectaſti. Animum ſentiebas cinere leuiorem, nec tamen vel humi deprimis, vel domi cohibes: ſed ſub dio in ſublimi tectorum faſtigio ventis exponis. Paſcendo gregi te ingeris, qui paſtore ipſe magis indigebas, qui te nutantem confirmaret. In tuam curam, oues Chriſti ſanguine redemptas ſuſcipis, qui carebas animi fortitudine, quâ te pro earum ſalute, lupo venienti obijceres. Neque

que ego magis hanc ignauiam tibi obijcio, quã tu fateris. *Canem* (inquis pag. 24.) *me Chriſtus in ſuo grege poſuit; mutus ampliùs eſſe non debeo: ſicut muti ſunt omnes Epiſcopi ſub Romano*. Non exagito temeritatem tuam, qua ſententiam fers in omnes prorſus Romanæ Catholicæque Eccleſiæ Epiſcopos, quaſi in mutos: hoc eſt, qui ſciant ſe Romanumque Pontificem errare, nec tamen loquuntur. Facile eſt vt credamus alios noſtris vitijs laborare: *ſtultusq́;* (vt ait Sapiens) *per viam ambulans, omnes ſui ſimiles & ſtultos arbitratur.* *Eccleſ. 10.3.*

Hoc accipio te mutum fuiſſe. *Mutus* (inquis) *ampliùs eſſe non debeo.* Certè mutus nunquam eſſe debebas, præſertim Epiſcopus: nec vnquam ſine grandi ſcelere fuiſti. Non memineras celebris illius ſententiæ, quâ Paſtorem Diuus Auguſtinus alloquitur: *Vidiſti lupum venientem, & tacuiſti: mercenarius es, fugiſti.* Reus ſanguinis animarum, hoc eſt ſanguinis Chriſti es: quia ſemper peccans in conſcientiã tuam errantem, quia ſemper mutus, quamdiu Epiſcopus fuiſti. Nam ſcribis pag. 12. *Te Epiſcopum ex lectione Sermonariorum ſtatim vidiſſe; populum ſub Romano Pontifice miſerabi-* *Tom. 9. Tract. 49. in Ioan.*

rabiliter deludi; inuentaq; auaritiæ & ambitionis, pro ſanctis fidei dogmatibus obtrudi & inculcari. Ecce, Antoni, ab initio Epiſcopatus tui, lupum tuâ opinione ingentem videras, Chriſti oues miſerabiliter depopulantem: tacuiſti tamē præ metu, & eas rapi & diſpergi permiſiſti. Magnum ſcelus. Saltem nunc maiore (vt credis) luce colluſtratus; lupo te generosè oppones, præteritamque ignauiam, ſanguinis effuſione elues. Imò verò fugis à grege tuo: & quā potes maximâ celeritate fugis, & in vltimum terræ angulum fugis,

Et penitus toto diuiſos orbe Britannos.

Melitæis mihi catellis ſimilis videris; qui dominarum deliciæ ſunt. Cùm ſe ſolos vident inter moloſſos, tremunt, ſilent, vel præ metu plorāt, fugiunt: vbi verò ad gynecæum peruenēre, vel ad dominæ ſinū; quo ſe tutos putant; conuerſo vultu ſuperbè ac ferociter latrant. Sic ad Magnæ Britanniæ Regis curiam fugis, vbi melitæis canibus, vxoratis Epiſcopis, qui muliercularum ſuarum deliciæ ſunt, te iungis, inde (vt ais) *aduerſus Pontificem, iuncto cum illorum clamoribus, clamore latraturus. Ego* (inquis pag. 28.) *in tutum aliquem locum aſcendo,*

do, vbi veritas ipſâ Catholica liberum iam extulerit caput. Sanè quidem ſic deliras. Sed quid interim grex tuus, Paſtor & Idolum? Te ſecuro & extra periculum conſtituto lupus (ſic tibi perſuaſum eſt) gregis tui vel corporibus vel animabus ingruit, rapit, diſpergit, deuorat. Quid in paſtore præſidij?

Ego (inquis) *catellus omnium profectò minimus, qualicunque latratu, ſaltem fortaſſe excitabo moloſſos indormientes qui lupum arceant.* Quin verò, cur ad pugnam non te ipſe accingis? Canem te Chriſtus in ſuo grege poſuit. Quid, ille tuendo gregi melitæos ſolet ponere, an moloſſos? Qui latrent lupum tantùm, non etiam mordeant? Tibi verò Epiſcopo catello eſſe non licet; cur enim te catellum paſtoritio muneri ingeris? ſume animi magnitudinem, lupo parem; vel paſtorem te eſſe nega. Excitabis alios qui gregem tuum tueantur; qui lupum arceant fortaſſis aliquando: ſin minùs & interim laceretur. Integrâ cuticulâ tu ſaltem dormies, moloſſoſque vt excites, libellis aduerſus Pontificem tuo iudicio certè doctiſſimis, ex muliercula (quam fortaſſe duces) gremio, Pag. 33.

ſtrepitabis. Pudet me tui, Antoni, quòd Paſtor in Eccleſia fuerit aliquando tam ignauus: ſed magis eos pudeat, qui te tam cupidè velut magnum & magnanimum Præſulem receperunt.

Adeſdum, Antoni; aliud te volo. nondum in hac de ambitu cauſa peroratum eſt. Aiebas, *Ego catellus omnium profectò minimus*; *tu verò*, inquam, *lupus omnium profectò maximus*. Appello teſtem conſcientiã tuam, an non ſit vera accuſatio quam ad me detulit ab Vrbe ſacra, ſed tibi exoſa, Antiſtes quidam amicus meus, olim etiam tuus. Audi & vide quomodo te purges à ſanguinario Archiepiſcopatus Spalatini ambitu, qui non Paſtor aut catellus, ſed lupus inter Segnienſes oues tuas, tam fœdâ proditione, tam crudeli viſceratione, non cretâ candidatus, ſed ſanguine cruentatus Remp. Venetam prehenſaſti. Totidem ferè verbis, vt italicè accepi, latinè reddam: non quòd propoſitum mihi eſſet longinqua aliunde petere, aut cauſam in illis fundare, ſed quia rei atrocitas & inſolentia ad memorandum inuitauit.

Marcus Antonius de Dominis Epiſcopus

erat Segnienſis in Dalmatia. Segnia vrbs eſt propter Vſchoccos nobilitata, & infeſta Venetis. Venetijs cùm eſſet aliquando Marcus Antonius, retulit ad Remp. habere ſe modum obtruncandi aliquot ex illuſtrioribus Segniæ Vſchoccis. Placuit & gratum acceptumq; fuit Reip. M. Antonij conſilium. Igitur ad ſuos redux dolo malo agere inſtituit cum illis ipſis Vſchoccis, vt ad Cæſarem Oratorem mitterent de priuilegijs & immunitatibus in fauorem Segnienſium Vſchoccorũ obtinendis acturum: quam in rem, ſi alij deeſſent, ſe promptum paratumq; obtulit. Iuit ergo non orator, ſed proditor. Nam ità præclarè rem egit in aula Cæſaris, vt Commiſſarium extorſerit, qui non priuilegiorum formulam, ſed mortis ſententiam adferret à Cæſare in capita præcipua Vſchoccorum. Illâ ſententiâ executioni mandatâ, cùm perfidã iſtam proditionem ſuam latere putaret, Segniam repetere cogitabat. Sed decimo ab vrbe milliario nuntiatum eſt Vſchoccos non tantùm eſſe nefariæ ipſius proditionis conſcios, verùm etiam auidè reditum præſtolari, vt probè ſe de proditore tam ſceleſto per impalationis ſupplicium vlciſcantur. Quid ageret proditor Antonius? conſilium mutauit, & iter Venetias intendit præmium rei geſtæ petiturus. Hæc eſt via quà

D *ad*

ad Spalatinum in Veneta ditione Archiepiſcopatum peruenit. Quia cùm ſedis Spalatinæ Antiſtes deſignatus eſſet à B. M. Pontifice Maximo Clemente, Decanus Vdinenſis (qui nunc alibi Epiſcopus eſt) commendatione Reip. Venetæ & induſtriâ Oratoris Veneti Cardinalis Vendramini effectum eſt, vt M. Antonius cum onere pendendi dicto Decano annuatim quingenta ſcuta, in ſedem Spalatinam Archiepiſcopus ſuccederet. Equidem primâ fronte arriſit ea conditio M. Antonio, ſed cùm ſenſim grauis illa penſio diſpliceret, & inde tarda difficiliſq; ſolutio fieret, in ius vocatus Romam ambulauit, cauſam ſub Paulo V. Pontifice dicturus. Illic ab æquo iudice nil iniquum impetrare potuit. Nam cum eâ lege pendendæ penſionis Archiepiſcopatum lubens volenſq; admiſiſſet, & non admodũ grauis penſio videretur, causâ cecidit, & turpiter victus damnatuſq; abſceſſit. Hinc illæ lachrymæ; vix Venetias reuerſus eſt, cùm dolore & odio plenus, maledicta in Romanũ Pontificem cœpit euomere, eius auctoritati derogare, Eccleſiam clerumq; Romanum allatrare, &c.

Hæc ille de te; quid ad hæc, Marce? catellum te vocabimus an lupum? Paſtorem an proditorem? En accuſatio, en crimina, en proditio, en auaritia, en ambitio.

tio. Et tu Antoni, tot annis ab illa Vſchocorum, ouium nempe tuarum, parricidali cæde, incruentam victimam Deo toties obtuliſti, incruentis manibus,

puraque in veſte ſacerdos;

& ſine cenſura euades? Et tu lupus gregem tuum inuaſiſti; *& ego non excitabo moloſſos indormientes?* Et tu tam ſanguineis gradibus ad Archiepiſcopatū aſcendiſti; & vocaberis catellus minimè ambitioſus? Et tu iuris laqueis conſtrictus, tu iudicis venabulo confixus, quando rabiem intra te decoquere non poteras, feruens furenſque inſano dente Pontificis, qui te damnauit auctoritatem per interdicti Veneti occaſionem laniaſti; & dices *te Zelo flagrare inquirendæ veritatis?*

VI. GRADVS.

Pro Primatu contentio.

NEmo facilè præuidet quantis ſe ſceleribus obſtringet, ſi ſemel ambitioni det victas manus. Iam ex Epiſcopo creuiſti in Archiepiſcopum, creuitq; cum honoribus tuis, cupido creſcendi. Suffraganeis tuis nimius; tibi ipſi, quia Romano ſubes, nullus videris. *Ventoſa res ambitus*

eſt, nec alium ante ſe libens videt, nec alium poſt ſe. Laborat inuidiâ, & quidem duplici: inuidet ſuperioribus, & ei à ſubditis inuidetur. Hac duplici inuidiâ laboras, Antoni: iura tua Metropolitica in Suffraganeos tuos aucta, iura Romani Pontificis ſupra te imminuta cupis. Hinc zelus, hinc liuor, hinc rixæ: hocque turbine correptus, tandem in Apoſtaſiam abreptus es. non voluiſti quidem ire; ſed nec potuiſti ſtare: *velut in præceps deiecta pondera, quibus eundi finis eſt iacuiſſe.* Hæc probata dabimus. Sic ſcribis pag. 14. *Ab Epiſcopatu ad Archiepiſcopatum ſum euectus. Ea mihi noua & vrgentior occaſio ſuborta, ſtudia mea innouandi, ac in ijs feruentiùs & exactiùs laborandi. Vbi enim Suffraganeorum meæ prouinciæ Epiſcoporum moleſtiæ; ſed multò magis Romanæ Curiæ nimia potentia, iura mea Metropolitica perturbantis, me pulſare cœperunt: omnium Eccleſiaſticorum graduum, poteſtatum, munerum, officiorum, dignitatum, ac præſertim Papatus mihi fuit radix indaganda, penitusq; cognoſcenda.* Ita tu. Qui an intelligas quod dicis, neſcio: certè hac narratiunculâ cauſam tuam penitus euertiſti, fidemque tuis aduerſus Pontificem ſcriptionibus omnem

nem abrogaſti. Quod ita me demonſtraturum confido, vt tu ipſe fortaſſis; cæterorum nemo non videat manifeſtè.

Suffraganeos tuos nec noui, nec moror. Quoniam Primas es, in eos ſis accuſator & teſtis. Moleſti tibi fuerunt: non excuſo. Inuidebant honori tuo, volebant detractum: factum malè. Romanus Pontifex te non iuuit; quin ſuâ potentiâ te magis oppreſſit. Vide quàm non iniquus aduerſarius ſim, quin hoc etiam fieri potuerit, non repugno. Doluiſti, ferebas ægrè, vrebaris, irâ feruebas: non laudo quidem; tamen humanum ſit hoc, iniurijs commoueri: ſed non eouſque doleas, vt Eccleſiam deſeras; non ita fervueas, vt extra ollam ebullias, nec deſilias (quod prouerbio dicitur) è ſartagine in fauillas. Patientiam te docere, ſi non vir aliquis, ſaltem matrona, non ſanguine magis, quàm ſanctitate nobilis, *Paula Romana* potuiſſet. Hæc, cùm nullo ſuo merito pateret inuidiæ, eamque *Hieronymus* vt inſaniæ cederet hortaretur, reſpõdit, Rectè hoc diceres, ſi non ſeruos Dei & ancillas Satan vbique pulſaret; ſi meam Bethlehem inuenire poſſem in alia mundi parte.

Hieron. in Epitaph. Paulæ.

Prorſus ſapienter, piè, apteque ad inſtitutum noſtrum. Deo ſeruientes vbique Satan exagitat; minores maioribus inuidere: infirmos à potentioribus opprimi, non Romanum, ſed humanum eſt. hoc malo ſi carere vis, non Romam, ſed prorſus homines fugias neceſſe eſt. Vbique moleſtiæ, iniuriæ, cruces, vbique quod feras: ſed non vbique Bethlehem, domus illa panis, qui niſi in Catholica, non reperitur: panis doctrinæ cæleſtis, qui fide nos ſatiat: panis ſanctiſſimi corporis, qui Sacramento nos paſcit. Inuenies in Miniſtrorum cœnis panem; ſed profanũ, quem qui ſumunt, cum canibus diuidere non metuunt; cuius micas & fruſta, nullâ religione territi, decutiũt in terram. Hunc ſacrum tu putas? non opinor. Quamuis, vt Regi Sereniſſimo placeas, eo, velut venerabundus veſcaris. Non igitur eouſque debuit ira procedere, vt è Bethlehem profugeres, ſi quæ tibi vel à Suffraganeis vel à Pontifice iniuriæ, quas obijcis nec probas: potiùs illæ amore Bethlehẽ, vnà cum diuino ipſius pane digerendæ.

Sed quoniam irâ iam ferues, in Pontificemque commotior es, vide ne quid di-

cas,

cas, cuius te poſtea pœnitebit. Dicis nimiam Pontificis potentiam tibi moleſtam fuiſſe, te tuaque iura pulſaſſe; inde feruens ſtudium tibi iniectum Papatus originem indagandi. Hoc ne dicis? verba tua clamant hoc te dicere: nec alio magis dicto, potuiſti cauſam tuam penitus iugulare. Quid enim? Pontificis, vt tibi perſuades, pulſatus iniurijs, potentiâ oppreſſus, iraque hoc ipſo feruens, lectioni ſcriptionique animum adijcis, Papatuſque originẽ indagas. Te, cum hac perturbatione animi ſcriptioni te accingentem, vera vt inuenias, vera dicturum quis credat? Papatus certam firmamque radicem, tu reuelabis; quam priuſquam indages, iam cupis euulſam? Tu Romanę poteſtatis iura proferes in lucem præiudicatâ causâ, quæ *nimia* tibi videntur antequam nota? Quid? Verane iracundus inuenies, trabemque tantam gerens oculo, quanta inuidenti Romani Pontificis potentia eſt? neſciebas verſum vulgarem ſed verum?

Impedit ira animum, ne poſſit cernere verum.

vel diuina teſtimonia tibi non occurrebant? verè *ſtultum interficit iracundia*; *perdis* Iob 5. 2.

 ani-

Iob 18.4. *animam tuam in furore tuo, vir iracundus ſuſ-*
Prou.15.18 *citat rixas, ira iuſtitiam Dei non operatur.*
Iac.1.20. Non eras memor Apoſtolici præcepti:
Rom.12. 19. *Non vos defendentes; ſed date locum iræ: tol-*
Epheſ.4. 31. *latur à vobis omnis amaritudo, & ira, & indi-*
gnatio, & clamor, & deniq; *blaſphemia*, quæ feruentis iracundiæ quidam eſt veluti fumus? Non itaque iam mirabimur, ſi decem tui de Republica Eccleſiaſtica libelli, blaſphemijs ſcateant mendacijſque, quos tibi, vt fateris, flamma pectoris tui, Pontificis potentiâ irritata profudit. Mirarer certè, ſi verum eſſet, quod de te Patres cum tanta animi commotione perlegente teſtaris: *Apertioribus oculis, facilè obſeruaui, vidi iam, penituſq; perſpexi.* Stupor eſt, vt trabem geras oculo, nec ſentias; vt cæcus cùm ſis, videntem te putes. Sed dic, Antoni, in illa tua feruida lectione quid vidiſti? *Vidi* (inquis) *penitúſque perſpexi, Romæ abſq; vllo legitimo fundamento, innumeros fidei articulos nouos quotidie cudi, & nobis obtrudi.* Necdum te cæcum ſentis? qui nihil vides: qui quod non eſt vides: qui vaſtum mendacium vides: Romæ, nouos fidei articulos cudi, non ſæculis vel annis vel diebus ſingulis vnum: ſed ſingu-

lis

lis diebus innumeros; nec tamen vel vnum nominaſti.

Sed verè Ambroſius: *Ira ſequitur inuidiam, quæ mentem exulcerat, ſenſum hebetat, linguam immutat, oculos obumbrat, totúmque corpus perturbat*; præſertim tanta ſi ſit, quantam tuam erga Pontificem fuiſſe his verbis intemperanter nimiùm præ te fers. *Non eſt* (inquis) *Romani Papæ tanta maieſtas, vt terrere debeat: ficta eſt illa, temporalis & faſtuoſa maieſtas: vſurpata eſt, nulla eſt.* Ita tu dignitatem, quam non poteſt adipiſci, deſpicis: nullam malles eſſe, quàm tuam non eſſe: laceraſque verbis, quam non potes factis: & vt olim de Ioſepho fratres, ſic tu de illa *nihil potes pacificè loqui*? Hoc inuidi, hoc iracundi eſt. Te non *terret Romani Papæ maieſtas.* ſed terruit tamen ex eadem Dalmatia tua oriundum Hieronymum, te multo doctiorem ſanctioremque, & minùs minima ac humana metuentem. *Tua* (inquit Damaſum alloquens) *magnitudo me terret, ſed inuitat humanitas: Romani culminis faceſſat ambitio, cum ſucceſſore Piſcatoris loquor.* Sed operæ pretium non eſt voces, quas ſola fundit inuidentia, refutare. Precat. 1. ad Miſſam

 Quod

Quod effectum cupimus iam patet, te plenè decurriſſe contentionis inuidiæque gradum, qui ſextum animi tui ad Apoſtaſiam properantis præcipitium eſt.

VII. GRADVS.

Contumacia contemptuſque ſupremi Paſtoris.

A Contumacia contemptuque Pontificis, pronus eſt lapſus in hæreſes; quas non aliunde natas ſcribit Cyprian. *quàm quòd vnus ad tempus in Eccleſia ſacerdos, & vnus ad tempus vice Chriſti iudex non cogitatur, nec ei ſecundùm magiſteria diuina obedit fraternitas vniuerſa.* Huic gradui adhuc inuidentiæ facibus ardens, ſtatim ſuccedis Antoni, ortaque inter Pontificem & Venetam Rempublicam contentione, occultum in Pontificem, quod malè texeras odium, apertâ contumaciâ prodidiſti. Rem ſic nobis ob oculos ponis pag. 14. *Acceſſit paulo pòſt Venetum interdictum: Romani libelli, nos Venetæ ditionis Epiſcopos, vt pecudes, rudes, imperitos, & malæ conſcientiæ homines, deprimere, vexare ac proſcindere*

Epiſt 55. ad Corn.

non

non deſtiterunt. Hinc ad noſtras perficiendas defenſiones; veritatemq́; in ipſa cauſa Veneta cognoſcendam, noui & ardentioris ſtudij, mihi noua ſunt data occaſiones. Ita rem narras, & flammarum tuarum incrementa: tibique iam pridem plus ſatis incaleſcenti, *nouas* dicis *& ardentiores* faces accedere. Credo affectas hæreſiarchæ gloriam, cupiſque, vt tibi applicemus illud Hieronymi; *Nemo poteſt hæreſes ſtruere, qui non ardentis ingenij eſt*. Talibus gaudet Apoſtolis nuperum Euangelium, quod Sereniſſimus Britanniæ Rex in Baſilico ſuo dono teſtatur, ab *ignea natura concionatoribus, factioſis, ſeditioſiſq́; hominibus*, Scotiæ hoc ſæculo inuectũ. Cupis ardere aduerſus Romanos, & vt magis ardeas fingis te tuóſque Coëpiſcopos ab ijs contumelijs affici, vocari pecudes, rudes, imperitos. Romanos in Veneta cauſa libros legi; nec tamen hæc quæ narras conuitia legi: ſed vt magis incaleſcas, fictas iniurias cogitas; leonem imitaris, qui quo ferocior ſit ad pugnam, ſuâ caudâ ſe verberat. *In Oſea cap. 10.*

Nec ego contentiosè negauerim, quin in Veneta contentione plus cæteris arſeris, publicumque Pontificis contemptum pri-

priuato ſuperaueris. Incendio certè,quo flagrabat florentiſſima Reſpub. in perniciem ſuam ſcriptis & ſermonibus oleum ingerebas: Pontificis tamen benignitate patientiaque ſopitum eſt. Vicit paterna pietas imperij Maieſtatem. Maluit filiorum animoſitati cedere, temporiq́ue mitigandos relinquere,quàm præfractos nimiùm,violentiâ,vel nõ reuocabili pœna, edomare. Hoc ægrè te habuit: qui victorias aduerſus Pontificem Reipub. ominatus fueras, qui falſâ ac fallaci ſpe, qualis delirantium eſſe ſolet, Pontificium diadema fortè iam capiti tuo aptaueras: quâ ſpe non ſolùm in præſens pax illa te depulit, ſed etiam manifeſtum hoſtem perpetuò Romanis honoribus excluſit. Flammæ tuæ, ſedatâ iam Republicâ, nonnihil ad ſpeciem repreſſæ, non tamen intus extinctæ ſunt. Ardentiora quæ ſuſceperas ſtudia contumaciæ, Patrum Conciliorumq; ſententijs defendendæ, non intermittebas; iamq; prioribus odij facibus in Pontificem, nouus ac vehemens timor acceſſit, ne creſcente in dies Pontificem inter & Venetos amicitiâ, tu tandem Pontifici rationem præteritorum ſcelerum reddi-

diturus, dedererê. Hoc timore pabulum ſubminiſtrante ignis qui decennio diſſimulanter arſerat, in publicum Apoſtaſiæ ſpectaculum erupit. *Quid plura?* inquis, *in his ſolis* (Patribus ſcilicet Concilijſque, quos varijs affectionibus cęcatus legebas) *inueni pleniſſimè quod quærebam, & multò amplius etiam quàm quærebam.* Quàm benè explicas deſcenſum tuum? dum contumaciam diligis, nec ab ea vis diſcedere, incidiſti in hæreſeos barathrũ, quod priùs horrebas. Volebas ſaluâ Religione permanere Catholicus contumax: factus es amiſsâ fide rebellis hæreticus. Catholicam contumaciam quærebas: hæreticam perfidiã inueniſti; prorſus inueniſti quod inuenire talis inquiſitio merebatur. *Initium enim hæreticorum eſt*, inquit Cyprianus, *ſibi placere: præpoſitos ſuperbo tumore contemnere: vnde proſilitur ad ſchiſmata; inde foris nouum altare collocatur.* Malignæ febres, peſti vicina contagia (peſte graſſante) ſemper in hoc ſibi cognatum malum deſinunt. Sic vbi vigent hæreſes, contemptus ſupremi Paſtoris, hæreſi confine ſcelus vix contineri poteſt, quin in hoc perfidiæ barathrum ſe tandem effundat. *Lib. 1. epiſt. 9.*

Tuo

Tuo diſcant exemplo, qui contumaces eſſe quęrunt, quid tandem inuenturi ſint. Stat igitur te poſitam à me Apoſtaſiæ ſcalam probè decurrere. quotidie euadis teipſo nocentior, & ab Eccleſia alienior,

Ereboq́; propior quolibet paſſu venis.

VIII. GRADVS.

Præſumptio de iudicio proprio ſupra Eccleſiam.

Reſtat vltimus & octauus ſcalæ tuæ Apoſtaticæ gradus, hæreſi non tam confinis, quàm affinis, quam non tantùm immediatè contingit, ſed etiam inchoat. Hic eſt de doctrina ingenioque tuo ſupra Eccleſiam præſumptio. Pulcherrimè Auguſtinus: *Nullus* (inquit) *in Religione Chriſtiana error eſſe poſſet, niſi ſe pro Deo anima coleret.* prorſus nemo hæreticus eſſet, ſi ſe ſubijceret Chriſtianus, & captiuum traderet intellectum Deo, per Eccleſiæ vocem, in humana ingenia dominanti, quæ cæca, temeraria, erronea ſunt, non ſolùm quãdo ſine diuinis Scripturis per naturæ opera vagantur, ſed etiam quando

De vera religion. cap.10.

intra Scripturarum ſacrarum ſepta ſuo arbitratu & ſenſu diſcurrunt. Huc cecideras, Antoni, priùs quàm à nobis fugeras; iamque Apoſtata non tam fiebas, quàm eras: veram captiuitatem intellectus tui in obſequium Romanæ fidei, ægrè ferebas; eam vbique exagitas, tandemque concludis, pag. 4. *Puer iam non ſum, cui propè ſexagenario, abſque rationum momentis, perſuadeat quiſquam quod libuerit.* Hæc tua Eccleſiæ Romanæ ſugillatio, vel putida calumnia eſt, vel immanis arrogantia. Si reprehendis Romanam, quaſi credendum cum vera intellectus captiuitate proponat, quidquid priuato Doctori, vel etiam cuiuis Præſuli veniat in mentem; certè Romanę odioſè imponis, quod illa non facit. Sed ſi *quod libuerit* tibi ſignificat illa, quæ vocas Eccleſiæ Romanæ propria placita, & illud inprimis, quod te maximè offendit, Petri ſucceſſoriſque primatus. Si *quiſquam* tibi ſignificat teſtes & authores, quibus *rationum tuarum momenta* vt ſubijcias, Romana Eccleſia vult: hæc inquam ſi intelligis & moleſtè fers, & facere recuſas, iam in vltimo Apoſtaſiæ gradu es. Nam Romanum primatū profiteri

noſti

noſti Catholicos Epiſcopos per orbem vniuerſos, Eccleſiamque per Europam, Indiasque nouâ gentium acceſſione diffuſam. Patrum teſtimonia, vetera Concilia non vrgebo: ſolùm dicam quod non negabis: hoc dogma definitum à Tridentino, Florentino & Lateranenſi Concilio, quod Chriſtianarum gentium conſpiratione & Epiſcoporum numeroſitate longè maximum fuit. an horum Conciliorum decretis, tuum iudicium ſubiugabis? non facies. ſed hi tot & tanti teſtes tibi *quiſque* ſunt: horum ſententiæ quiſquiliæ. Vides igitur patere iam arrogantiam tuam, quam animo retentam, verbis celatam volebas: cùm dicis quòd tibi ſexagenario non perſuaſerit quiſque quod libuerit. Sed habes rationum momenta, vt credas; paria requiris à nobis vel maiora? O callidum hæreſeos ingenium! vidit, ſi res authoritate agatur, ſe vinci; leuem ſe eſſe & nullum; nec poſſe ſuæ nouitatis anguſtias, cum ſpatioſa Catholicæ antiquitate conferri? Quid igitur? vt Eccleſiæ authoritatem apud rudem plebeculam eleuet, nouitati ſuæ rationũ pondera & momenta magnis clamoribus apponit.

ponit. Si mihi non credis hæc dicenti, Auguſtinum audi fraudem hanc & hæreticam & tuam luculentiſſimè retegentem. ſic ait: *Cùm hæretici ſentiunt ſe abiectiſſimè iacere, ſi eorum authoritas cum authoritate Catholicâ conferatur: conantur authoritatem ſtabiliſſimam fundatiſſimæ Eccleſiæ, quaſi rationis nomine & pollicitatione ſuperare. Omnium enim hæreticorum quaſi regularis eſt iſta temeritas.* Ita Auguſtinus; qui certè te tangit, rationum tuarum momenta cum Catholicæ Eccleſiæ Conciliorumque authoritate comparantem. Nec inuidiosè rapio verba tua in ſenſum, quem fortaſſe non cogitaſti, vt rationum momenta ſint illa tantùm, quæ naturalis ſcientia ſubminiſtrat: non ita te premo; rationes etiam ex Scriptura depromptas intelligis, ſed ita vt niſi illis conuincaris, vt videas, quod dicit Eccleſia, id in Scriptura contineri, illius authoritati nón cedes; nec verò credendum præſertim ſexagenario putas. Non enim omnes hæretici, quorum quaſi regularis fuit iſta temeritas, rationem à Scriptura ſeparatam vrgebant; ſed argumenta ex Scripturarum teſtimonijs ſe habere iactabant, & paria à Ca- Epiſt. 56.

tholicis exigebant, clara perſpicuaq; quibus non poſſit humana intelligentia reluctari. Hoc enim etiam Nouatores noſtri requirunt, nec quenquam hæreticum eſſe volunt, niſi qui Scripturarũ teſtimonijs, quæ profert Eccleſia, cõuictus, quod illa credendum offert, hoc in Scriptura dici videt; nihilominus diſſentit. Quæ ſane doctrina ſi vera eſſet, vix fieri poſſit, vt hæreticus vllus inueniretur. Nam ſi non videt hoc in Scriptura dici, quod illum Eccleſia vult credere, licet diſſentiat ab Eccleſia, hæreticus non erit; ſi verò videt, diſſentire non poteſt, niſi vel Deum poſſe mentiri, vel Chriſtianas Scripturas non eſſe à Deo profectas credat; quorum vtrumlibet credat, tamen hæreticus non erit. Si credit Deum poſſe mentiri, non erit hæreticus, ſed atheus; ſi Scripturas non eſſe diuinas, nec hæreticus erit, ſed penitus infidelis. *Sine Scripturis enim* (ait Tertullianus) *hæreſes eſſe non poſſunt*: vel ſaltem nullus hæreticus erit, qui non aliquam partẽ canonicæ Scripturæ præciderit. Quomodo igitur nos Catholicos hæreticos appellant, qui nullum librum è *Canone*, quem vel ipſi admittunt, expungimus,

Præſcript. cap. 39.

gimus, nec illa nobis in Scripturis haberi videntur quæ ſcripta eſſe vociferantur. Verùm iam propoſitum mihi non eſt, demoliri hanc hæreticæ ſuperbiæ turrim, quâ nolunt Eccleſiæ credere, niſi ipſimet videant, doctrinam quam proponit, in Scriptura contineri. Hoc vrgeo, hac te doctrinæ ingenijque præſidentiâ imbutum, præſertim opinione librorum, quos promittis, ab Eccleſia reſilijſſe. Quod de Agar Saræ ancilla legitur, certè quadrat ad ingenium tuum: *Concepiſſe ſe videns deſpexit dominam ſuam*. Nam poſtquam nouam quandã Reipublicæ & vnionis Chriſtianæ formam & ideam mente conceperas, Romanæ Eccleſię per orbem diffuſæ iudicium, cui tuum ancillari debebat & ſubijci, contempſiſti; pluſque doctrinæ decem tuis de Republica Eccleſiaſtica libellis tibi perſuades ineſſe, quàm reliquo Catholico orbi. Multa quidem bona ex tuo diſceſſu, magna, mira promittis: compreſſa ſchiſmata, vnitas Eccleſias, extinctas hæreſes, ſopita bella inter Principes Chriſtianos, coniunctis eorum armis debellatos Turcas, liberatas ſub horum iugo gementes Eccleſias. Quibus tandẽ Gen. 16. 4.

armis tanta perficies? vt Dauid quinque lapidibus aduerſus Goliam, ſic tu, tuis duplicato hoc numero libellis, ſchiſmatum monſtra debellaturus procedis. *Clamores meos*, inquis, *breui audiet Eccleſia: loquar ad cor Hieruſalem, & aduocabo eam.* Et tamen (nî fallor) cordi ſolus Deus loquitur; mortalium clamores, qui ad cæleſtia inuitant, etiam maximi, doctiſſimi, eloquentiſſimi, per ſe non niſi aures feriunt: nec video, vnde voces tuas ad cor Eccleſiæ peruenturas tam certò ſtatuas. Video tamen te credere, vim magnam, incredibilem, diuinam tuis ineſſe clamoribus. Sed quid tandem clamaturus es, quod breui audiat Eccleſia? *Decem* (inquis) *de Republica Eccleſiaſtica, vt monui, ſtatim edam libros, quibus illud maximè conor, vt Romani errores detegantur, veritas & ſanitas Catholicæ & doctrinæ & diſciplinæ aperiantur, Eccleſiæ plurimæ à noſtra Romana abiectæ & repudiatæ in Catholico ſenſu retineantur, vnionis omnium Chriſti Eccleſiarum via nutu & digito ſi non demonſtretur, ſaltem indicetur: ſi quo modo fieri poteſt (*hoc eſt, ſi fieri poteſt, meis libellis vel nullis fiet*) vt vnum dicamus omnes, vnum ſentiamus, & ſchiſmata comprimantur,*

Prin-

Principibus Chriſtianis anſæ eripiantur oppreſſionem inter ſe meditandi; ſed potiùs eò vires dirigant vt Eccleſiæ Chriſti, ſub iugo Tyrannorum verè infidelium gementes in libertatem priſtinã vindicentur. Quas victorias Eccleſię reportabit? quas ſtrages hęreticus tuus hic (ſi Lucina fauerit) vterus dabit? Qui propterea tibi dignus videtur, cui aditus in vitam, etiã per ſcelera quæratur. Quid enim? Ab Eccleſia Catholica deficere an non ſcelus? A Catholica, quia ſuis in finibus te partum hunc deponere non permittit, te ſcindis, vt quia aliter non poteſt, velut vipera ſciſſâ matre, naſcatur. Paſtorem deſerere gregem ſuum quem tueri diuino iure diſtringitur, an nõ ſcelus? Scribis tamẽ: *Neceſſariò mihi fuit mea Eccleſia deſerenda, vt ipſe (diſruptis his quoq; vinculis) iam penitus factus liber, promptior ſim ad veritatis præconium celebrandum, tutiuſq; poſſim ruinas ſanctæ Eccleſiæ quas à Romana patitur, deplorare?* Quid verò hoc eſt aliud, quàm, vincula diuini iuris rumpantur: animæ Chriſti ſanguine redemptæ pereant: vt tu in decachordo tuo pſalterio, in quo valdè tibi places, vel laudes, ſcilicet veritatis, cantilles, vel ſchiſmatũ mala deplores.

Lachrymas tuas, quas in Romanam fundis, dignas exiſtimas, quæ pretio ſanguinis animarum ab Eccleſia emantur. Si tibi cantillandi & flendi tanta cupiditas, cur Paſtor eſſe voluiſti? cur non in aliqua potiùs Religioſa familia te cantui & lachrymis addixiſti? Denique fidem ſimulare, Eccleſiamq; quam animo non probas, corpore accedere, an non ſcelus? Tu verò, Antoni, tam citò omnia dogmata vel Romana euomuiſti, vel Anglicana hauſiſti: vt huic Eccleſiæ te totum deuoueas? Non hoc putem. In multis ſimulas, vt illis placeas, à quibus ſtipem ſperas, atque ſub Regis tutela, eiuſque obſtetricante manu, tuus hic liber, quia non potuit edi in Catholicam lucem, ſaltem in hæreticam caliginem proferatur.

Zoilum neſcio quem ferunt ſolitum lecto decumbere, velut ægrum, cùm reuerà non eſſet, vt hac occaſione Tyrio murice tincta ſtragula, in quibus mirificè ſibi placebat, oſtentaret. Similis te cupido vexat tua ſcripta publicandi; vtque hoc obtineas, in Eccleſia Anglicana hæreticus fictè quoad multa decumbis, procumbiſque ad Regij primatus ſupra Eccleſiã

pe-

pedes. Et tamen nullus dubitauerit, quin, vbi diuitias tuas prælo, per tot ſcelera quæſito, commiſeris, reperietur nonnemo, non Catholicus, ſed Proteſtans, qui lecto opere tuo, dictum Zoilo tibi dabit,

Oſtentat vanas quid niſi morbus opes?

Quin verò tu ſequere conſilium, quod grauidæ Agar Angelus dedit: *reuertere ad dominam tuam, & humiliare ſub manu illius.* Gen. 16. 9. Ad Eccleſiam quam deſeruiſti redi: te, ingenium ſi quod eſt tuum, doctrinam, libros ad illius pedes proijce, cenſuræ Catholicæ, Romanæ ſubmitte. ſimilis eſto Rachelis famulæ; vt illa liberos, ſic tu libros ad heræ genua pare. Video te hoc conſilium auerſari: humilis eſt, ſerui eſt, paruuli eſt. Prorſus eſt: ſed alta humilitas, quâ ſeipſo ſuoq; ingenio ſublimior Chriſtianus, Deo, quæ captum ſuperant humanum, per indoctos etiam nonnunquã Prælatos docenti coniungitur. Felix ſeruitus, quæ nos aſſerit & aſtringit veritati, quæ ſola verè liberos facit. Ingens paruitas, quæ ſola cæli Deique capax eſt. Denique, quamuis ſexagenarius ſis, regnum cælorum, *niſi conuerſus fueris, & fias vt paruulus, non intrabis.* Qui dedignantur parui

eſſe, magni fiunt; non ſapientiâ, ſed malitiâ ſtultitiaque, quod in ſecunda Synopſeos Apoſtaſiæ tuæ parte monſtrabitur.

SYNOPSEOS APOSTASIÆ SECVNDA PARS.

Quis modò ſit Marcus Antonius.

NIL opus ambagibus. Octo maledictionum gradibus, in octo quas hæreſis in ſe complectitur voragines, incidiſti? Has tibi numerabo; deinde in eas te merſum oſtendam. Sunt autem hæ; Eccleſiæ Chriſti deſertio; Fides vaga aut nulla; Hypocriſis; Aduerſus Eccleſiam mendacitas; Maledicentia; Arrogantia magiſterij ſupra vniuerſalem Eccleſiam; Adulatoria nouitas dogmatum; Vaniloquium. In his te iacere obrutum, non alijs argumentis, quàm tuus mihi libellus ſuppeditat, euincam. Hic nunc aduerſus te teſtimonium dicit, maluſq; aduerſus non reſipiſcentem dicet in ſupremo die. Tu potiùs emerge ex hæretico profũdo, necdum enim ſera pœnitentia eſt.

Eccle-

Eccleſiæ Chriſti deſertio.

ECcleſiam Chriſti & Catholicam deſerere primà quidem hæreticæ prauitatis, ſed tamen profundiſſima vorago eſt. *Omnis hæreticus* (inquit Hieronymus) *Apoſtata eſt.* Apoſtolus *hæreticum hominem peruerſum* vocat, quia ſcilicet nemo hæreticus, niſi qui à via veritatis, quam tenuerat, ſe auerterit: *delinquere* hæreticum dicit, eò quòd ſocietatem ſanctorum in qua fuerat, relinquat. In hoc barathro eſſe te tam clara res eſt, vt probatione non indigeat; tamen, quia negas oſtendam; neque communibus argumentis, ſed tuis verbis te addicam. *In cap. 3 Iſaia.*

Qui Chriſti Eccleſiam & ſanctorum ſocietatem deſerit, peruerſus eſt, delinquens & Apoſtata eſt. Hoc non negabis: quòd verò hoc facias, ipſe tu manifeſtiſſimè dicis. Nam te fugere à Romana Eccleſia, ab eaque exire palàm fateris pag. 34. *Profectionem hanc meam, ſeu etiam exitum è Babylone aut fugam, omni ſchiſmatis ſuſpicione carere volo.* Igitur ex Romana Eccleſia, quam Babylonem vocas, exis. Sed Roma-

na Eccleſia, Eccleſia Chriſti eſt & ſanctorum ſocietas. Ergo ab ea impiè exis, eamque Babylonem impiè vocas. Si petas vnde probem Romanam Eccleſiam, eſſe Eccleſiam Chriſti & ſocietatem ſanctorum. Reſpondeo, ex tuis verbis. Sic enim ſcribis pag. 18. *Muneri meo deeſſe non poſſum; Epiſcopus ſum in Eccleſia Chriſti*. pag. verò 38. Romanæ Eccleſiæ Epiſcopos, *ſanctiſſimos collegas* appellas: Tu cùm ſcribebas, in nulla Eccleſia niſi in Romana eras, in nullam aliam viſibili & externâ profeſſione admiſſus eras: aut ſi eras, iam Catholici Epiſcopi, collegæ tui non erant. Igitur in nulla Eccleſia Chriſti Epiſcopus eras, niſi quatenus in Romana eras: ergo ſi tu in Eccleſia Chriſti Epiſcopus, ſi communionis Romanæ Epiſcopi collegæ tui ſanctiſſimi ſunt; Romana Eccleſia, Chriſti Eccleſia eſt, ſocietas ſanctorũ eſt. quam cùm te linquere fatearis, Eccleſiam Chriſti, & ſanctos te deſerere negare non potes. Hoc autem *peruerti, delinquere*, apoſtatare eſt. Benè Tertullianus, *Impunè erratur, vbi nihil delinquitur: impunè vagatur, qui nihil deſerit.* Omnino. Sed qui Eccleſiam Chriſti deſerit, qui ſanctos deſerit, aliquid & magnum

Præſcript. cap. 11.

gnum deſerit, & ideo delinquit; nec impunè ſed impiè vagatur. Quòd ſi linquat quos ſanctos iudicat & appellat, quod tu facis.; certè *delinquit, ſuo iudicio condemnatus.* Audi quid in te, ſententiam Apoſtoli enarrans, S. Ambroſius commentetur. *Ipſe ſe damnat hæreticus, cùm ab Eccleſiâ ipſe ſe proijcit; & de cætu ſanctorum nullo compellente recedit. Ipſe enim oſtendit, quid mereatur à cunctis, qui ſuo iudicio ſeparatur à cunctis. Nam cùm cæteri crimino ſi ſententiâ Epiſcopi eijciantur ab Eccleſia; hæreticus cuncta præueniens, ſententiâ ſuæ voluntatis abijcitur. Tali ergo hæreticus, quali & Iudas damnatur, vt & ſui reus ſit ſceleris, & iudex vltionis.* Serm. 50.

Dices, te quidem Romanam Eccleſiam, quæ Chriſti Eccleſia eſt, deſerere, non tamen Eccleſiam Chriſti deſerere, ſed ab vna Eccleſia Chriſti erroribus fœdata, ad aliam Chriſti Eccleſiam puriorem migrare. Hoc dicere verè non potes. Nam fugis ad fugitiuas Eccleſias, quæ à Romana Eccleſia etiam ipſę diſceſſerunt; quæ niſi fugiſſent, quæ te reciperet Eccleſia non eſſet. Hoc ipſe etiã fateris pag. 15. dum illas vocas *Eccleſias, quas Roma ſibi ad-*

uerſarias excitat. Igitur aliquando non *aduerſariæ*, non *excitatæ* fuerant; ſed Romanis, vt tu putas, idololatrijs addictæ, ad Pontificis pedes proſtratæ iacuerũt. Nihil notius. Igitur ipſæ quoque ſe ab Eccleſia Chriſti & ſocietate ſanctorum ſepararũt, ſi (vt tu fateris) Romana Chriſti Eccleſia eſt & ſocietas ſanctorum. An igitur illæ ad puriorẽ à Romana Eccleſiam migrarunt? minimè: ſed Romanâ deſertâ, migrarunt ad ſeipſas factas (ſuâ quidem opinione) puriores, non tamẽ puritate Eccleſiæ quæ priùs extitit, & cui ſe adiunxerunt; ſed puritate ſocietatis nouæ, quam ſuâ totius orbis deſertione excitarunt. Sic Caluinus:
Epiſt. 141. *Abſurdum eſt*, inquit, *nos, cùm diſceſſionem à toto orbe fecerimus, inter nos diſſidere*. Ridicula planè ſunt & abſurda litigia veſtra, Caluine, ſed multo abſurdius, quod fateris, vos à toto orbe receſſiſſe. Iam enim ex Auguſtino ſubſumo, ſed *qui receſſerunt à communione orbis terrarum*, Apoſtatæ ſunt. Minimè, inquies: nam iuſtè diſceſſimus, fugimus errores, hæreſes; cauſas grauiſſimas habemus. Imò verò (inquit Auguſtinus) Apoſtatæ eſtis, nec cauſam iuſtam
Epiſt. 48. habetis. *Nos enim*, inquit ille, *certi ſumus*,

neminem ſe à communione orbis terrarum iuſtè ſeparare potuiſſe. Et iterum: *Fieri non poteſt vt aliqui cauſam habeant, quâ communionem ſuam ſeparent à communione orbis terrarum, ſeq; appellent Eccleſiam, quòd iuſtè ſe ab omnium gentium communione ſeparauerint.* Ita Auguſtinus: qui non ſinit te ex Apoſtaſiæ barathro emergere, niſi redeas ad Romanam.

Dices, te Romanam corpore non verò animo reliquiſſe, te metu ſuppliciorum fugiſſe; pacem tamen communionemq; cum ipſa, ſi tutò poſſis, habere te paratum eſſe. Hoc ſi dicis, non diu dices, nec poteſt cum dictis & factis tuis ſtare. Nam pag. 34. & 35. dicis, *te paratum communicare cum omnibus, qui in eſſentialibus fidei articulis & ſymbolis tecum conueniunt. Si tamen,* inquis, *nouos articulos, ſiue ſacræ Scripturæ apertè contrarios, ſiue à ſymbolis prædictis alienos, ſimul omnes deteſtemur.* Vel igitur Romana docet errores nouos ſacræ Scripturæ apertè contrarios, vel non docet. Si non docet; ſine cauſa ab ea fugis. Si docet, nec eos vult deteſtari, imò cùm tu pag. 16. dicas eam *nouos articulos obtrudere, qui manifeſtam in ſe continent falſitatem, & ad ne-*

cem

cem perſequi qui contrà mutire audent; iam patet te ex animo etiam & communionis profeſſione à Romana diſceſſiſſe; quam tamen Chriſti Eccleſiam, & ſocietatem ſanctorum eſſe concedis. Nullum igitur tibi patet effugium, quin Apoſtata ſis.

At (inquis) *profectionem hanc meam, & fugam omni ſchiſmatis ſuſpicione carere volo.* Satis tu quidem pro imperio; tamen rerum naturis imperare tuum non eſt. Si vis aliena rapere domino inuito, nec fur eſſe; hominibus vitam eripere, nec homicida eſſe; Eccleſiam Chriſti deſerere, nec deſertor eſſe: non fiet tibi ſicut vis. Furtum, furtum; homicidium, homicidium; ſchiſma, ſchiſma erit, velit nolit Antonius. Sed ais, *Fugio errores, fugio abuſus, fugio ne particeps ſim delictorum eius, & de plagis eius accipiam.* Benè prophetauit de te Spiritus ſanctus, eſt *generatio quæ ſibi munda videtur, & tamen non eſt lota à ſordibus ſuis*; vel, vt legit Auguſtinus, *filius malus ipſe ſe iuſtum dicit, exitum autem ſuum non abluit.* Dicis, Eccleſiam ſcatere erroribus, abuſibus, peccatis; te verò ſanctum, purum, & à nobis peccatoribus ſegregandum.

Prou.30. v.12.

Lib. 3. contra Creſconiũ cap.34.

Iuſtum te dicis, non probas. tamen ſi verum

verũ diceres, exitum tuum non lauas; nec à ſchiſmatis crimine te purgas. quod etiam ex tuis verbis probatum dabo. pag. 37. de ſancto Cypriano ſcribis: *Cyprianus tanquam certum habebat, Stephanum Romanum Pontificem vehementer errare; nihilominus maluit non modò cum ipſo Stephano ab eo longè diuerſa ſentiente & operante, ſed etiam cum illis quos impuros cenſebat, communicare ex eo tantum quòd à Stephano in communionem reciperentur, quàm ſchiſmate Eccleſiam ſcindere: & hoc S. Auguſtinus Donatiſtis exemplum ad imitandum proponit, proponit & nobis.* Ex ore te iudico. Cur enim quod tibi imitandum proponi dicis exemplũ, non imitaris? Si Cyprianus ſchiſmatis ſcelere ſe contaminaſſet, ſi à Stephano, quem vehemẽter errare putabat, ſe ſeparaſſet; tu potes à Paulo V. & Epiſcopis illi coniunctis te diuidere, nec ſchiſmaticus eſſe? Si Cyprianus Stephanum fugiens non ſe purgaſſet à ſchiſmate, etiamſi verè dixiſſet, Fugio errores, abuſus, peccata; tu diſceſſionem tuam à Romana, tam inani improbatâ exclamatiunculâ abluere te putas? rem lauas, Antoni, quem non niſi itentiæ lacrymis ablues.

Vaga

Lachrymas tuas, quas in Romanam fundis, dignas exiſtimas, quæ pretio ſanguinis animarum ab Eccleſia emantur. Si tibi cantillandi & flendi tanta cupiditas, cur Paſtor eſſe voluiſti? cur non in aliqua potiùs Religioſa familia te cantui & lachrymis addixiſti? Denique fidem ſimulare, Eccleſiamq; quam animo non probas, corpore accedere, an non ſcelus? Tu verò, Antoni, tam citò omnia dogmata vel Romana euomuiſti, vel Anglicana hauſiſti: vt huic Eccleſiæ te totum deuoueas? Non hoc putem. In multis ſimulas, vt illis placeas, à quibus ſtipem ſperas; atque ſub Regis tutela, eiuſque obſtetricante manu, tuus hic liber, quia non potuit edi in Catholicam lucem, ſaltem in hæreticam caliginem proferatur.

Zoilum neſcio quem ferunt ſolitum lecto decumbere, velut ægrum, cùm reuerâ non eſſet, vt hac occaſione Tyrio murice tincta ſtragula, in quibus mirificè ſibi placebat, oſtentaret. Similis te cupido vexat tua ſcripta publicandi; vtque hoc obtineas, in Eccleſia Anglicana hæreticus fictè quoad multa decumbis, procumbiſque ad Regij primatus ſupra Eccleſiã

pe-

pedes. Et tamen nullus dubitauerit, quin, vbi diuitias tuas prælo, per tot ſcelera quæſito, commiſeris; reperietur nonnemo, non Catholicus, ſed Proteſtans, qui lecto opere tuo, dictum Zoilo tibi dabit,

Oſtentat vanas quid niſi morbus opes?

Quin verò tu ſequere conſilium, quod grauidæ Agar Angelus dedit: *reuertere ad dominam tuam, & humiliare ſub manu illius.* Gen. 16. 9 Ad Eccleſiam quam deſeruiſti redi: te, ingenium ſi quod eſt tuum, doctrinam, libros ad illius pedes proijce, cenſuræ Catholicæ, Romanæ ſubmitte. ſimilis eſto Rachelis famulæ; vt illa liberos, ſic tu libros ad heræ genua pare. Video te hoc conſilium auerſari: humilis eſt, ſerui eſt, paruuli eſt. Prorſus eſt: ſed alta humilitas, quâ ſeipſo ſuoq; ingenio ſublimior Chriſtianus, Deo, quæ captum ſuperant humanum, per indoctos etiam nonnunquã Prælatos docenti coniungitur. Felix ſeruitus, quæ nos aſſerit & aſtringit veritati, quæ ſola verè liberos facit. Ingens paruitas, quæ ſola cæli Deique capax eſt. Denique, quamuis ſexagenarius ſis, regnum cælorum, *niſi conuerſus fueris, & fias vt paruulus, non intrabis.* Qui dedignantur parui

eſſe, magni fiunt; non ſapientiâ, ſed malitiâ ſtultitiaque, quod in ſecunda Synopſeos Apoſtaſiæ tuæ parte monſtrabitur.

SYNOPSEOS APOSTASIÆ SECVNDA PARS.

Quis modò ſit Marcus Antonius.

NIl opus ambagibus. Octo maledictionum gradibus, in octo quas hæreſis in ſe complectitur voragines, incidiſti? Has tibi numerabo; deinde in eas te merſum oſtendam. Sunt autem hæ; Eccleſiæ Chriſti deſertio; Fides vaga aut nulla; Hypocriſis; Aduerſus Eccleſiam mendacitas; Maledicentia; Arrogantia magiſterij ſupra vniuerſalem Eccleſiam; Adulatoria nouitas dogmatum; Vaniloquium. In his te iacere obrutum, non alijs argumentis, quàm tuus mihi libellus ſuppeditat, euincam. Hic nunc aduerſus te teſtimonium dicit, maluſq; aduerſus non reſipiſcentem dicet in ſupremo die. Tu potiùs emerge ex hæretico profũdo, necdum enim ſera pœnitentia eſt.

Eccleſiæ Chriſti deſertio.

ECcleſiam Chriſti & Catholicam deſerere prima quidem hæreticæ prauitatis, ſed tamen profundiſſima vorago eſt. *Omnis hæreticus* (inquit Hieronymus) *Apoſtata eſt.* Apoſtolus *hæreticum hominem peruerſum* vocat, quia ſcilicet nemo hæreticus, niſi qui à via veritatis, quam tenuerat, ſe auerterit: *delinquere* hęreticum dicit, eò quòd ſocietatem ſanctorum in qua fuerat, relinquat. In hoc barathro eſſe te tam clara res eſt, vt probatione non indigeat; tamen, quia negas oſtendam; neque communibus argumentis, ſed tuis verbis te addicam. *In cap. 3 Iſaiæ.*

Qui Chriſti Eccleſiam & ſanctorum ſocietatem deſerit, peruerſus eſt, delinquens & Apoſtata eſt. Hoc non negabis: quòd verò hoc facias, ipſe tu manifeſtiſſimè dicis. Nam te fugere à Romana Eccleſia, ab eaque exire palàm fateris pag. 34. *Profectionem hanc meam, ſeu etiam exitum è Babylone aut fugam, omni ſchiſmatis ſuſpicione carere volo.* Igitur ex Romana Eccleſia, quam Babylonem vocas, exis. Sed Roma-

na Eccleſia, Eccleſia Chriſti eſt & ſanctorum ſocietas. Ergo ab ea impiè exis, eamque Babylonem impiè vocas. Si petas vnde probem: Romanam Eccleſiam, eſſe Eccleſiam Chriſti & ſocietatem ſanctorum. Reſpondeo, ex tuis verbis. Sic enim ſcribis pag. 18. *Muneri meo deeſſe non poſſum; Epiſcopus ſum in Eccleſia Chriſti*. pag. verò 38. Romanæ Eccleſiæ Epiſcopos, *ſanctiſſimos collegas* appellas. Tu cùm ſcribebas, in nulla Eccleſia niſi in Romana eras, in nullam aliam viſibili & externâ profeſſione admiſſus eras: aut ſi eras, iam Catholici Epiſcopi, collegæ tui non erant. Igitur in nulla Eccleſia Chriſti Epiſcopus eras, niſi quatenus in Romana eras: ergo ſi tu in Eccleſia Chriſti Epiſcopus, ſi communionis Romanæ Epiſcopi collegæ tui ſanctiſſimi ſunt; Romana Eccleſia, Chriſti Eccleſia eſt, ſocietas ſanctorũ eſt. quam cùm te linquere fatearis, Eccleſiam Chriſti, & ſanctos te deſerere negare non potes. Hoc autem *peruerti, delinquere*, apoſtatare eſt. Benè Tertullianus, *Impunè erratur, vbi nihil delinquitur: impunè vagatur, qui nihil deſerit*. Omnino. Sed qui Eccleſiam Chriſti deſerit, qui ſanctos deſerit, aliquid & magnum

Præſcript. cap. 11.

gnum

gnum deſerit, & ideo delinquit; nec impunè ſed impiè vagatur. Quòd ſi linquat quos ſanctos iudicat & appellat, quod tu facis, certè *delinquit*, *ſuo iudicio condemnatus*. Audi quid in te, ſententiam Apoſtoli enarrans, S. Ambroſius commentetur. *Ipſe ſe damnat hæreticus, cùm ab Eccleſia ipſe ſe proijcit; & de cœtu ſanctorum nullo compellente recedit. Ipſe enim oſtendit, quid mereatur à cunctis, qui ſuo iudicio ſeparatur à cunctis. Nam cùm cæteri criminoſi, ſententiâ Epiſcopi eijciantur ab Eccleſia; hæreticus cuncta præueniens, ſententiâ ſuæ voluntatis abijcitur. Tali ergo hæreticus, quali & Iudas damnatur, vt & ſui reus ſit ſceleris, & iudex vltionis.* Serm. 50.

Dices, te quidem Romanam Eccleſiam, quæ Chriſti Eccleſia eſt, deſerere, non tamen Eccleſiam Chriſti deſerere, ſed ab vna Eccleſia Chriſti erroribus fœdata, ad aliam Chriſti Eccleſiam puriorem migrare. Hoc dicere verè non potes. Nam fugis ad fugitiuas Eccleſias, quæ à Romana Eccleſia etiam ipſæ diſceſſerunt; quæ niſi fugiſſent, quæ te reciperet Eccleſia non eſſet. Hoc ipſe etiã fateris pag. 15. dum illas vocas *Eccleſias, quas Roma ſibi ad-*

uer-

uerſarias excitat. Igitur aliquando non *aduerſariæ*, non *excitatæ* fuerant; ſed Romanis, vt tu putas, idololatrijs addictæ, ad Pontificis pedes proſtratæ iacuerũt. Nihil notius. Igitur ipſæ quoque ſe ab Eccleſia Chriſti & ſocietate ſanctorum ſeparárũt, ſi (vt tu fateris) Romana Chriſti Eccleſia eſt & ſocietas ſanctorum. An igitur illæ ad puriorẽ à Romana Eccleſiam migrarunt? minimè: ſed Romanâ deſertâ, migrarunt ad ſeipſas factas (ſuâ quidem opinione) puriores, non tamẽ puritate Eccleſiæ quæ priùs extitit, & cui ſe adiunxerunt; ſed puritate ſocietatis nouæ, quam ſuâ totius orbis deſertione excitarunt. Sic Caluinus:
Epiſt. 141. *Abſurdum eſt*, inquit, *nos, cùm diſceſſionem à toto orbe fecerimus, inter nos diſſidere*. Ridicula planè ſunt & abſurda litigia veſtra, Caluine, ſed multo abſurdius, quod fateris, vos à toto orbe receſſiſſe. Iam enim ex Auguſtino ſubſumo, ſed *qui receſſerunt à communione orbis terrarum*, Apoſtatæ ſunt. Minimè, inquies: nam iuſtè diſceſſimus, fugimus errores, hæreſes; cauſas grauiſſimas habemus. Imò verò (inquit Auguſtinus) Apoſtatæ eſtis, nec cauſam iuſtam
Epiſt. 48. habetis. *Nos enim*, inquit ille, *certi ſumus*,
nemi-

neminem ſe à communione orbis terrarum iuſtè ſeparare potuiſſe. Et iterum: *Fieri non poteſt vt aliqui cauſam habeant, quâ communionem ſuam ſeparent à communione orbis terrarum, ſeq; appellent Eccleſiam, quòd iuſtè ſe ab omnium gentium communione ſeparauerint*. Ita Auguſtinus: qui non ſinit te ex Apoſtaſiæ barathro emergere, niſi redeas ad Romanam.

Dices, te Romanam corpore non verò animo reliquiſſe, te metu ſuppliciorum fugiſſe; pacem tamen communionemq; cum ipſa, ſi tutò poſſis, habere te paratum eſſe. Hoc ſi dicis, non diu dices, nec poteſt cum dictis & factis tuis ſtare. Nam pag. 34. & 35. dicis, *te paratum communicare cum omnibus, qui in eſſentialibus fidei articulis & ſymbolis tecum conueniunt*. *Si tamen*, inquis, *nouos articulos, ſiue ſacræ Scripturæ apertè contrarios, ſiue à ſymbolis prædictis alienos, ſimul omnes deteſtemur*. Vel igitur Romana docet errores nouos ſacræ Scripturæ apertè contrarios, vel non docet. Si non docet; ſine cauſa ab ea fugis. Si docet, nec eos vult deteſtari, imò cùm tu pag. 16. dicas eam *nouos articulos obtrudere, qui manifeſtam in ſe continent falſitatem, & ad ne-*

cem

cem perſequi qui contrà mutire audent; iam patet te ex animo etiam & communionis profeſſione à Romana diſceſſiſſe; quam tamen Chriſti Eccleſiam, & ſocietatem ſanctorum eſſe concedis. Nullum igitur tibi patet effugium, quin Apoſtata ſis.

At (inquis) *profectionem hanc meam, & fugam omni ſchiſmatis ſuſpicione carere volo.* Satis tu quidem pro imperio; tamen rerum naturis imperare tuum non eſt. Si vis aliena rapere domino inuito, nec fur eſſe; hominibus vitam eripere, nec homicida eſſe; Eccleſiam Chriſti deſerere, nec deſertor eſſe: non fiet tibi ſicut vis. Furtum, furtum; homicidium, homicidium; ſchiſma, ſchiſma erit, velit nolit Antonius. Sed ais, *Fugio errores, fugio abuſus, fugio ne particeps ſim delictorum eius, & de plagis eius*

Prou.30. v. 12. *accipiam*. Benè prophetauit de te Spiritus ſanctus, eſt *generatio quæ ſibi munda videtur, & tamen non eſt lota à ſordibus ſuis*; vel, vt legit Auguſtinus, *filius malus ipſe ſe iuſtum*

Lib. 3. contra Creſconiũ cap. 34. *dicit, exitum autem ſuum non abluit.* Dicis, Eccleſiam ſcatere erroribus, abuſibus, peccatis; te verò ſanctum, purum, & à nobis peccatoribus ſegregandum.

Iuſtum te dicis, non probas. tamen ſi

verum

verũ diceres, exitum tuum non lauas; nec à ſchiſmatis crimine te purgas. quod etiam ex tuis verbis probatum dabo. pag. 37. de ſancto Cypriano ſcribis: *Cyprianus tanquam certum habebat, Stephanum Romanum Pontificem vehementer errare; nihilominus maluit non modò cum ipſo Stephano ab eo longè diuerſa ſentiente & operante, ſed etiam cum illis, quos impuros cenſebat, communicare ex eo tantùm quòd à Stephano in communionem reciperentur, quàm ſchiſmate Eccleſiam ſcindere: & hoc S. Auguſtinus Donatiſtis exemplum ad imitandum proponit, proponit & nobis.* Ex ore te iudico. Cur enim quod tibi imitandum proponi dicis exemplũ, non imitaris? Si Cyprianus ſchiſmatis ſcelere ſe contaminaſſet, ſi à Stephano, quem vehemẽter errare putabat, ſe ſeparaſſet; tu potes à Paulo V. & Epiſcopis illi coniunctis te diuidere, nec ſchiſmaticus eſſe? Si Cyprianus Stephanum fugiens non ſe purgaſſet à ſchiſmate, etiamſi verè dixiſſet, Fugio errores, abuſus, peccata; tu diſceſſionem tuam à Romana, tam inani improbatâque exclamatiunculâ abluere te putas? Laterem lauas, Antoni, quem non niſi pœnitentiæ lacrymis ablues.

Vaga, aut nulla fides.

SEcundam voraginem, in quam merſus es, appello *fidei nullitatem*, quia Romanâ deſertâ fide, nullam loco eius certam definitamque ſubſtituis. Tabula raſa videris, ad quamlibet ſectam aut hæreſim (modò Romano Primatui aduerſetur) excipiendam paratiſſima. Ingens vorago, ſed tamen hæreticorum: quorum proprium eſt fidem non ſtabilire, ſed euertere, deſtruere Chriſtianas Eccleſias, non ex Gentilibus facere Chriſtianas; *pacemq́;*
Præſcr.41. (vt ait Tertullianus) *paſſim cum omnibus miſcent; nec intereſt, quamuis diuerſa tractantibus, dummodo ad vnius veritatis euerſionem conſpirent.* Hanc in te fidei certæque religionis vacuitatem multa indicant. Inprimis, perpetua taciturnitas, qui ad quã ſectam tendas à Romana, nec in titulo nec in toto libello tuo clarè expediteque dicis. Motionem, à fine terminoque in quam tendit, ſpeciem formamque ſortiri Philoſophi pronunciant. Tua igitur profectio, cui nullum terminum præfigis, quam nullis finibus contines, quid niſi deformis, vaga, infinita, errabunda Lectori

tuo

tuo appareat? Et eo minùs ferenda hæc tua omiſſio eſt, quòd ſtatim initio, profectionem tuam probatam etiam Catholicis vehementer cupis. Quî fieri autem poteſt, vt prudens quiſpiam proficiſci te probet, niſi priùs vbinam gentium tandem conſiſtere mediteris, intelligat? Qui, *quò vadas neſcimus*, quomodo poſſumus viam tuam ſcire, nedum approbare? Igitur *quò tendas* cùm ſit in conſilio de profectione aliqua præcipuum, quod in principio deliberationis ſtatim dictum oportebat, cur hoc nec in titulo, nec ſaltem in reliquo libro definis? facilis reſponſio; neſciebas. Te comparas *Abrahamo* Deum ſequenti & ex patria exeunti. Vanè quidẽ; tamen, in hoc non es diſſimilis, quòd vt ille à patria exiuit neſciens quò iret; ſic tu à Romana Eccleſia & fide, quam aliam ſequereris ignarus. Secundò, hanc fidei religioniſque incertitudinem ſilentio tuo indicatam, verbis etiam oſtentas pag. 15. cùm ſcribis: *Iam apertioribus oculis facilè mihi fuit obſeruare doctrinam illarum Eccleſiarum, quas plurimas Roma ſibi excitat aduerſarias, & à nobis acriter reprehenduntur, à noſtriſq́; Theologis impugnantur, à vera priſca* Pag. 28.

Eccleſiæ puræ doctrina vel nihil vel parum admodum abhorrere. Sic tu, Antoni: nec potuiſti clariùs aperire voraginem pectoris tui ad quamlibet ſectam, modò Romanæ Eccleſiæ contraria ſit, inhiantem. Videamus enim: quò tendis? Inquiro; *ad Eccleſias*, inquis, à vera priſca Eccleſiæ puræ doctrina vel nihil vel parum admodum abhorrentes. Hoc ſciebam te dicturum. Sed quænam illæ *Eccleſiæ, quas* (inquis) *plurimas Roma ſibi excitat aduerſarias*? O quanta in his verbis vaſtitas! quanta confuſio! Omitto illud incertiſſimum, *parum admodum abhorrere*. quod quàm parū multúmue ſit, nemo ſciat; tu ſolus ſtatuas, pro libituque vel extendas vel contrahas. Nec inquiro, vbinam gentium hæ ſint, quas laudas, Eccleſiæ. Quòd ſi quærerem, poſſem te perſequi de regione in regionem, ſudareſque, vt Eccleſias, quas in tuo cerebro & libro pingis, inuenias in mundo: Eccleſias, inquam, à Romana communione diſiunctas, multitudine plurimas, in vna eadem pura priſca fide conſentientes.

Sed his omiſſis quæro, cùm dicis, *Eccleſias, quas plurimas Roma ſibi excitat aduerſarias,*

ſarias, nihil vel parum admodum abhorrere à pura priſca doctrina: de omnibus Romanæ aduerſarijs hoc intelligi vis, an de aliquibus tantùm? Intelligi de omnibus verè non poteſt, cùm diuerſiſſimæ ſint, inter ſeque contrariæ. ſunt Græcæ, Lutheranę, Caluinianæ, Libertinæ, Anabaptiſticæ, Arrianæ, Trinit..riæ. Quâ ratione poſſunt omnes à vera doctrina parum admodum abhorrere; quarũ doctrinæ inter ſe multum admodum, ac propemodùm infinitè diſſident? Si dicas non quidem omnes, ſed tamen aliquas, quę Romanã oderunt Eccleſiam, à priſca puritate doctrinæ parum admodum abhorrere; iam quæro, cur antequam laudas, ab impuris pura non ſeparas; cur in vaſtam ſectarum à Romana Eccleſia diſſidentium turbam, in qua vel te iudice non omnes puræ, imò multæ impuræ, multæ impiæ, multæ dementiſſimæ ſunt, magnum illud præconium, *à pura priſca doctrina nihil admodum abhorrere*, cæcâ ne dicam an impiâ laudatione præcipitas? Vt ex tuis verbis non poſſit intelligi, Græcáſne hac laude mactes Eccleſias an Aquilonares? Lutheranas an Anabaptiſticas? Caluinianas an

Arrianas? Non es *os Dei*, Antoni: non es præco veritatis, qui bona malaque confuſa ſine delectu laudas; neque *pretioſum à vili*, noxium à ſalutari, hæreticum à Catholico, impium à Chriſtiano diſcernis.

Sed quid faceres, qui necdum certam Eccleſiam, quam laudares, elegeras? Quã tandem electurus eſſes ignarus, nullam damnare auſus es, ne fortè ad prædamnatam diuertere cogereris. Si verò ex plurimis Romæ aduerſarijs vnam ſine cæteris laudauiſſes, reliquæ tuâ taciturnitate violatæ ægrè fugientem recepiſſent: ſi autem cunctas, quę Pontificem execrantur, ſectas diſtinctè cum laude appellaſſes, cũ multæ damnatiſſimæ ſint, iuſtis te noſtrorum vituperijs expoſuiſſes. Vt igitur tibi & ad quoſuis hæreticos, ſi liberet, perfugium, & tamen à Catholicorum accuſationibus effugium compararès; hoſtibus Romæ Eccleſijs, nullâ præſertim nominatâ, callido conſilio, vagaque fide, incertus adulator applaudis. Patère iam conſilia tua non ſentis, Antoni, tuoque libello, ea te proferre in lucem, quæ maximè tecta cupiebas?

Tertiò, tanta tuæ fidei eſt incertitudo,

vt non ſolùm quò fugias à Romana, ſed etiam quid fugias in Romana, neſcias. Exagitas quidem Romani Pontificis primatum, cuius odium cunctis terrarum ſectis ſciebas eſſe commune. Quidquid eſt in orbe malorum, quò magis inſigniter eſt impium, eò impotentiùs Pontificis potẽtiam cupit extinctam: Græci, Proteſtantes, Lutherani, Caluiniani, Anabaptiſtæ, Arriani, Mahumetani, Iudæi, Athei. Sed quid præter primatum in Romana fugis? Nihil aliud ſpeciatim explicas, ſed tantùm te fugere Romana peccata, errores, abuſus, innumerabiles nouitates. Cur verò non nominas? Noras, nimirum, non eandem ab omnibus Romæ aduerſarijs in Romana Eccleſia reprehendi. Commendant vnæ, quod aliæ damnant. Sciebas, quòd alia Romana dogmata improbare te oportebat, ſi fieres Græcus; alia, ſi Lutheranus; alia, ſi Caluinianus; alia, ſi Anabaptiſta; alia, ſi hæreres in Germania; alia, ſi fugeres in Galliam; alia denique ſi nauigares in Angliam. Igitur adhuc pendulus incertúſque animi, vaſtis confuſiſque vocibus Romanos clamas errores. vbi verò alicubi ſedem fixeris, tunc quantum &

in quibus ſecta illa voluerit, tibi Romana Eccleſia errabit. At, inquis, *Romanos errores ſingillatim commemorare prætermiſi, quia in meo opere de Republica Eccleſiaſtica eos plenè perſequor: quod iam diu præparatum habeo, ſtatimq́; illud typis dabo, & Chalcographo qui mihi in hoc itinere primus in Germania commodus occurrerit, imprimendum conſignabo*. Cur, Antoni, quod hîc facturum te promittis, non præſtitiſti? Rem non excutio. Hæc dico, aliud opus imprimes, quàm in Italia typis paraueras. Nam multa tu, proficiens in peius, libro tuo vel Catholicis conſentientia auferes, vel aduerſantia addes? Multa ex hæreticorum libris, quos priùs non legeras, nunc legis, hauſta inſeres; multa vt mutes, Pſeudoepiſcopi & Miniſtri Proteſtantes efficient. Quid verò Sereniſſimus Rex non indoctus, multa vt demas, multa vt addas, argumentis niſi euicerit, ſuâ certè authoritate compellet. Nec pauca Regis dicta, licet ille non valdè vrgeat, tu blandiens obſequendo approbabis. Neſcis quid Caſaubono acciderit, quàm demutatus fuerit ab illo quem Angliæ importauit animo & fide? Quod ille factum amico excuſans, ſe iam ſer-

uum factum, Regiæ ingreſſu, fatetur; nec poſſe, nec audere Regijs placitis repugnare: quam tamen ſeruilis hominis ſeruitutem, ipſius ignauiæ tribuerim; non ingenio Regis.

Quin verò, aliquod extat harum mutationum præſagium in hoc tuo libello, qui recuſus in Anglia, nonnihil diſtat ab illo, quem Venetijs edidiſti. In Veneta enim editione exponens argumentum noui libri tui, dicis te pluribus explicare, *quàm parca eſſe debeat Miniſtrorum Eccleſiæ ſuſtentatio*. Durum verbum *Parca ſuſtentatio* Miniſtris Anglicanis viſum eſt. Fortaſſis Venetijs ſcribens, tantùm Miniſtris Eccleſiæ, non eorum etiam vxoribus liberiſque alimenta prouideras. Hoc igitur in Anglicana editione temperans, dicis, te pluribus explicare, *qualis debeat eſſe Miniſtrorum Eccleſiæ ſuſtentatio*: fortaſſeque vt Miniſtrorum mulierculas tibi deuincias, parcam ſuſtentationem mutabis in opimam. Igitur fruſtra iactas, te librum euulgaturum, quem tecum aduexiſti, Romanos continentem errores, tuaſque Venetijs habitas *claras apertaſque viſiones*, & è pura Patrum lectione doctrinæ à nobis hau-

ſta diuortia. Non eſt hoc quod nunc euulgas, illud tuum Venetum ſcriptum, Antoni. Non eſt, inquam, illud quod te dicis in medijs Papatus tenebris conſtitutum, diuinum quaſi ſcriptorem, nullâ hæretici libri face tibi prælucente, tantùm ad lapſas cælo luces & lampadas elucubraſſe. Opus illud tantum fugit, euanuit, perijt. Minimè verò (inquies.) nam vt in libro meo nonnulla mutata ſint, tamen multa ac plurima ſuperſunt. Sit ita: ſed quis, in tantis contaminationibus, illa ſuperſtitia agnoſcet? Quis in tuo libro, cùm prodierit, conſtantia à mutatis; primitiua, ab addititijs; Veneta, ab Anglicanis; Regia à tuis; tua quæ nuper hæreticorum lectione hauſiſti, ab illis quæ iactas olim quaſi diuinitus hauſta, diſcernet? Nemo, ne quidem ſi lynceis oculis ſit.

Quartò, ſatis vagantem per omnes ſectas animum tuum declarat, quòd, cuò ſuſpicionibus his & incommodis proſpiceres, nullam fidei, quam Venetijs exportaſti, confeſſionem huic libello inſeruiſti: quod tamen facere vel maximè debuiſſes. Hoc enim primum facere ſolent, qui diſcedunt ab hæreſi, vt quia perſua-

ſionem, quam ſemel habuerunt, deſerũt, ſtatim quæ noua ſuccedat, innoteſcat, ne penitus ſine fide eſſe videantur. Oportebat, inquam, te clarâ explicataque fidei confeſſione prodere in lucem, quos in Romana Eccleſia fugeres errores; quæ illius dogmata adhuc approbares; quæ tibi in aduerſarijs Eccleſijs arriderent; quæ verò diſpliceant: quia, cùm eas *parum admodum abhorrere à pura priſca doctrina* dicas, videris inſinuare, nec illas tibi penitus totaſque perplacere. Hoc non feciſti; ſed tempori magis quàm veritati ſeruiens, *paratuſque* (quod hæreticorum eſſe dicit Hilarius) *ad hominũ ſtudia coaceruare doctrinam,* decennales quas venditas luces, in æternas tenebras conuertiſti. Nec mortalium aliquis ſciet aliquando, quæ tu Venetijs attuleris dogmata, quæ verò in Anglia hauſeris; ſed ſcripta tua prudentibus ſuſpectiſſima non ſolùm erroris, ſed etiam fictionis, habebuntur. *Lib. 5. de Trinit.*

Nec dicas te confeſſionem fidei in hoc libro ſcripſiſſe pag. 29. *Paratus ſum communicare cum omnibus, quamdiu in eſſentialibus noſtræ fidei articulis, & ſymbolis antiquæ Chriſti Eccleſiæ conuenimus; ſi tamen nouos articu-*

los,ſiue ſacræ Scripturæ apertè contrarios,ſiue à ſymbolis prædictis alienos, ſimul omnes deteſtemur? Nimirùm vaſta & vaga confeſſio, quę ſectas omnes complectitur,certè paucas excludit. Deinde nec tibi conſtas: nam pag. 39. præcipis Romanæ Eccleſiæ, vt *pacem omnibus Chriſti Eccleſiis per eſſentialia fidei ſymbola Chriſtum profitentibus reſtituat.* neque requiris hanc, quam nunc flagitas, nouorum articulorum, qui ſunt Scripturæ apertè contrarij, deteſtationẽ.

Illud etiam, varium & ambiguum eſt, *Scripturæ apertè contrarios*, cùm multa ſint errorum Scripturæ apertè contrariorum genera: quæ verò ex illis neceſſariò deteſtanda ſint, valdè à veſtris Proteſtantibus diſputatur. Nec etiam dicis quo iudice hi articuli cenſeri debeant noui, & Scripturæ contrarij. Nam ſi petas, vt articulos quiſque reijciat, qui ſibi noui, & Scripturæ repugnare videbuntur; hoc nulla ſecta non faciet. Si verò, vt reijciant errores, qui tuo iudicio apertè Scripturæ contrarij apparent,iniquum poſtulas.Quis enim te iudicem conſtituit? Si nec tuam nec illorum, ſed tertij iudicis ſententiam expectandam cenſes, cur illum non nominaſti?

naſti? Denique, eſſentiales articuli quinam ſint, non dicis; nec quæ ſint eſſentialia ſymbola; nec an omnes in ſymbolis articuli eſſentiales; nec quid eſſentiale ſymbolum ſit: cùm tamen nouum vocabulum ſit, nec à Catholicis nec à Proteſtantibus hactenus vſurpatũ; imò facilè trahi poteſt in eum ſenſum, quo ſymbola in quantum eſſentialia, nulla ſecta reijciat. Cur verò non abſolutè ſymbola antiquę Eccleſię, ſed ſemper eſſentialia recipi vis? Certè in hoc verbo latet, quod necdum intelligimus; meritoq; Athanaſius, *omnia nobis hæreticorum verba & voces, ſuſpectas eſſe debere* pronuntiat. Cur candidè & apertè non loqueris? cur nouis & ambiguis vocabulis in fidei negotio ludis? niſi quia fidei religioniſque incertus, confeſſionem vis edere quam poſſis ad occaſiones, tempora, regiones & ſectas accommodare. Nec tamen aliud facis, quàm quod olim Hieronymi temporibus, tui fecere maiores. *Sic verba temperant* (inquit ille) *ſic ordinem vertunt, ſic ambigua quæque concinnant, vt & noſtram & aduerſariorum confeſſionem teneant, vt aliter hæreticus, aliter Catholicus audiat.* Nec noſtrò ſæculo

Serm. 4. contra Arrian.

Epiſt. ad Pammac. & Ocean.

culo

culo deſuerunt hi Prothei & Chamęleonticæ fidei confeſſiones, quæ varijs temporum locorumque coloribus aptentur: præſertim verò illa, quam Carolo Quinto Imperatori primi veſtri parentes obtulerunt: cuius articulos Melanchthon auctor, verbis ambiguis, meditatiſſimè inuoluit, rationemq; facti Luthero reddens: *Subinde enim*, inquit, *mutandi ſunt, & ad occaſiones accommodandi*: nimirū menſtrua fides veſtra eſt. ſed *veritas Domini manet in æternum*.

Hoſpin. in ſua concord. diſcord. ad annum 15.

Hypocriſis.

TErtium hæreticæ nequitię barathrū, hypocriſis eſt. *Callidum genus hæreticorum eſt* (inquit Auguſtinus) *non ſpiritu ſapientiæ, ſed ſpiritu verſipellis aſtutiæ, quo ſolent hæreticorum feruere præcordia, & pacem conturbare ſanctorum.* Hilarius verò: *Sequitur deſertionem fidei hypocriſis mendax, vt ſit vel in verbis pietas, quam amiſit conſcientia.* Sed non eſt facile in agninam pellem totum lupum ſe condere. Simulas, Antoni, pietatem, quam tamen ita tui immemor

Lib. 16. de ciuit. c. 2.

Lib. 10. de Trinit.

fin-

fingis, vt fingere ex tuis verbis detegaris; quod quinque exemplis illuſtrabo. Primò, ſimulas teſtimonium conſcientiæ puræ, pag. 2. *Gloria noſtra eſt teſtimonium conſcientiæ noſtræ, quòd in ſimplicitate cordis & ſinceritate Dei, & non in ſapientia carnali, ſed in gratia Dei locum mutem.* Ab Eccleſiæ iudicio ad conſcientiæ tuæ tribunal appellas, de *communi conuerteris ad priuatum, hoc eſt* (ait Auguſtinus) *de veritate ad mendacium.* Vis probem in ſapientia carnali te locum mutaſſe, nempe vt cuticulæ tuæ proſpiceres cui timebas, qui timor niſi tibi pennas dediſſet, adhuc Papiſta (ſpecie tenus) eſſes, necdum deſiiſſes, quæ vocas, idola venerari? Pag. 23. *Contra me,* inquis, *iam diu odium conceptum Romæ fouebatur, quæ meos in ſcribendo aduerſus ipſius ſenſa, labores iam ſubolfecerat. Nam & per Nuncium Apoſtolicum Venetijs commorantem, non ſemel monitus hac de re, & correptus fui. Satius ergo fuit pennas columbæ aſſumere, & auolare in ſolitudines.* Quàm palàm fateris, quòd tibi, quibus fugeres timor addidit alas, timor, inquam, & horror non inferni, non peccati, non Romanæ denique doctrinæ, ſed Romanæ ſeueritatis metus, ne fidei

Lib. 10. Confeſſ. cap. 12.

cen-

cenſoribus examinandus à Republica traderêre.

Secundò, fingis deſiderium crucis, teque Pauli verbis diuinâ charitate pleniſſimis induis. *Mihi cum Paulo pro minimo eſt vt ab hominibus iudicer, ſim ſtultus propter Chriſtum, ſim ignobilis, cædar colaphis, maledicar, perſecutiones patiar, blaſphemer, purgamentum & peripſema & anathema ſiam, dummodo Chriſto ſatisfaciam*. Sic tu: pergiſque porrò in Pauli verbis, pro Chriſto opprobria & cruciamenta ſuſpirans. Sed ficte omnia. Nam ſi perſecutiones in votis tibi ſunt, cur fugis vbi perſecutiones potiùs inferas, quàm patiaris? vbi impunè Pontificem maledictis & blaſphemijs laceres, & velut purgamentum mundi & anathema orco deuoueas? Quæ tibi verò cauſa fugiendi, tu dicis, pag. 23. *Quid facerem ampliùs in medio nationis prauæ atque peruerſæ? Si doctrinam veram Catholicam & docere & exercere voluiſſem, grauiſſimas in caput meum procellas Romanas, fœdiſſimaſque tempeſtates acceleraſſem*. Quid? Antoni, mortem pro *doctrina vera Catholica* obitam non pretioſam in conſpectu Domini, ſed fœdiſſimâ putas? Nauclerum deſertâ naue fugere fœ-

fœdum eſt; ſed, fidei memorem pro naue vectoribuſq; ſeruandis ſe tempeſtati obijcere, glorioſum. Nauclerus eſſe vis, Eccleſiæ nauem regere vis; tempeſtates pati non vis. Nę tu fingis, & à Pauli mente plurimum abes, cuius verba martyrium ſpirantia mutuaris; quæ non magis conueniunt in animum tuum, quam gigantæi calcei in pueri pedem.

Tertiò, fingis te Eccleſiæ condolere, eius ruinas deplorare. *Dolor* (inquis pag. 16) *& nimia triſtitia mirum in modum me conficiebat, & indies magis conficit*. Quæ verba vix ſine riſu legere potui, cùm cogitarem quàm facies diſſideat à dictis, quamque toto corpore circumferas nulla mortificationis Ieſu Chriſti, nulla doloris intimi oſſaque & medullas exedentis indicia. Miror, ſi, cùm te nimiâ triſtitiâ confici & mœſtitudine mirum in modum macerari ſcriberes, non ipſe riſiſti. Nec tamen nouo ſimulamento te tegis, ſed quod in priſcis hæreticis Gregorius notauit & detexit. *Hæretici*, inquit, *quaſi infirmanti Eccleſiæ ſe condolere ſimulant; eiq; ſub blandimentorum ſpecie dolos deceptionis nectunt*: nimirum lacrymas crocodili plorant, quibus humi-

Lib. 3. mor. cap. 19.

humidat voraciſſima bellua, & lubricat ſolum, vt ficto fletu tractus viator, ſtatim fallente veſtigio cadat præda lacrymanti.

Quartò, fingis Scripturas tibi fauere: *Animi mei impetus* (ais pag. 5.) *& cogitationes alijs regulis non ſum vnquam moderatus, niſi ijs quas toti Eccleſiæ ſanctæ Spiritus ſanctus in ſacris Litteris præſcripſit.* Facilè hoc dicitur. Quis autem hæreticus non dixit? *Nec garrulitas eorum*, inquit

Ad Tit. 1. Hieronymus, *haberet fidem, niſi videretur peruerſam doctrinam etiam diuinis teſtimonijs roborare.* Tu non alijs vnquam regulis, quàm diuinâ Scripturâ præſcriptis cogitationes tuas es moderatus; magnum dictum, quod neſcio an in aliquem Sanctorum, ſi Chriſtũ & Virginem Matrem excipias, conueniat. Næ tu ſanctiſſimus es, nec vnquam peccaſti; niſi peccare quis poſſit ſemper regulas Spiritus ſancti ſequens. Fortaſſis non ita ſentis vaſtè, quã loqueris; non credas autem omni cogitationi, quæ Scripturæ teſtimonijs velata ſe offert. in his ſępe latet coluber tortuo-

Tom. 2. Germ. VVittemb. fol. 122. art. 52. 2. ſus. Si mihi hoc non credis, Luthero crede: *Miſeri*, inquit, *ſunt, qui non cogitant Diabolum vndiq; venenata tela ignea ipſis immit-*

mittere, quæ tela nihil aliud ſunt, quàm cogitationes pulcherrimæ Scripturarum teſtimonijs adornatæ, ita vt latentem ſub eis fraudem veneni animaduertere nequeant. Ita Lutherus. Quare mirari non deberes, ſi tibi Scripturas aduerſus Catholicam iactanti, regererem illud Auguſtini in Fauſtum: *Maligne, malo ſtudio legis; ſtulte, non intelligis; cæce, non vides.* *Lib. 33. contra Fauſt. c. 7.*

Quintò, Patres obtendis: *Soli ſancti Patres præter internas motiones Spiritus ſancti, conſilij huius mei authores ampliſſimi fuerunt.* Ridiculè te bellum putas hoc veſtitu, cùm ad eas tendis Eccleſias, quæ ſe *non Patres magis quàm matres, ſed ſolas Scripturas* ſequi profitentur. Si tibi tot ampliſſima ſuppetant Patrum teſtimonia, cur vnum ſaltem aut alterum clarum apertumque huic libello nó inſeruiſti? Profers illud ex Concilio Carthaginenſi, quod vocas dictum celeberrimum, celeberrimi Cypriani. *Neminem iudicantes, aut à iure communionis aliquem ſi diuerſum ſentiat, amouentes. Neque enim quiſquam noſtrûm Epiſcopum ſe Epiſcoporum conſtituit, aut tyrannico timore ad obſequendi neceſſitatem collegas ſuos adigit.* Non potuiſti luculentius teſtimonium profer- *Zuinglius in explanat. artic. 64. f. 107. Tom. 1.*

re, te nihil ex Patribus habere, quod ſolidè obijcias. Celeberrimus quidẽ Cyprianus ſanctitate, doctrinâ, eloquentiâ; ſed celebris etiã errore quem in Concilio Carthaginẽſi ſtabilire voluit, in quem Deus tantæ Eccleſiæ Præſulem labi permiſit. Igitur cùm ex probatis Cypriani ſcriptis nihil quod cauſam tuam iuuaret inuenires, ex hoc Concilio Carthaginẽſi Cypriani erroneo damnatoque, quod D. Auguſt. etiã celeberrimo opere refutauit, teſtimoniũ ducis. Hoc autem omniũ quę habes ampliſſimũ videtur, cùm ſolũ producas in aciem. Deinde cum Cypriani, in celebri cõtentione cum Stephano Papa, patientiã, charitatẽ, prudentiã Stephano depreſſo laudas, palã eſt te odio Romani Pontificis antiquitati repugnare. D. enim. Auguſtinus Cypriani modeſtiſſimus & amantiſſimus cenſor, apertè dicit, eum in controuerſia cum Stephano *cõmotiore indignatione* ſcripſiſſe. Subditq; pruden: monitum: *melius eſſe prætermittere quæ Cyprianus aduerſus Stephanum irritatus effudit, quæ periculũ pernicioſæ diſſenſionis habuerunt.* Cur igitur tu adducis? niſi vt damnatâ antiquitate teniti ſciamus; & in eorum eſſe te numero,

Sex libris de baptiſmo aduerſus Donatiſtas.

Lib. 5. de baptiſmo contra Donat. cap. 25.

mero,

mero, quos duplici dignos odio Vincentius Lyrinenſis exiſtimat, dum ſui erroris patrocinium quærentes, *ſancti cuiuſq; viri memoriã tanquã ſopitos cineres profanã manu ventilant; & quæ ſilentio ſopiri oportebat, re diuinâ opinione diffamãt.* Deniq; citata Cypriani verba plus habent indignationis, quàm erroris, nec Romani Pontificis poteſtati in fidei cõtrouerſijs definiendis aduerſantur. Non enim dicit nullum eſſe in Eccleſia à Deo conſtitutum Epiſcopum, cui cæteri parêre debeant, qui fidei controuerſias finire poſſit: ſed in eo Concilio Carthaginẽſi neminẽ fuiſſe, qui talem ſibi poteſtatẽ arrogaret, quo dicto notã in Eccleſia Romani Pontificis authoritatẽ inſinuat magis quàm negat, quãuis fortaſſis exercitiũ illius, quòd ſuo aduerſaretur errori, velut tyrannicũ obliquè perſtringat, quod indicat fuiſſe tunc Cyprianũ aduerſus Põtificẽ, cuius authoritatẽ agnoſcebat, *commotiùs indignatũ*, vt ait Auguſt. qui aduerſus te tuiq; ſimiles, qui ſuã contumaciã Cypriani tegunt exemplo, meritò exclamat: *O quã deteſtãdus eſt error hominũ, qui clarorũ virorũ quædã non rectè facta, laudabiliter ſe imitari putãt, à quorũ virtutibus alieni ſunt.*

Commonit. aduerſus hæreſ. c. 11.

De vnico baptiſmo contra Petil. c. 13.

Mendacitas aduerſus Eccleſiam.

NIhil notius ſeculis, nihil magis à Patribus decantatum, quàm hæreticorum impia mendacitas, qua ſe genitos ab
Ioan. 8.23. illo teſtantur, *qui mendax à principio fuit & mendacij pater.* In mendacio confidunt,
Lib.1.c.15. *neque vllus* (vt ait Irenæus) *perfectus inter eos habetur, qui non maxima mendacia fructificauerit.* Perfectus in generatione tua cupis eſſe, Antoni, & feracem indolem tuam hac tuâ arbuſculâ probas, mendacijs onuſtiore quàm folijs. Ex his fructibus hæreſi dignis, ego decem tibi decerpam magnos, maturos, qui ſuo ſe odore produnt, mole etiam oſtentant.

Primum, cuius etiam ſuprà fecimus mentionem, ſed hîc ſuo loco inſerendũ, habetur pag. 15. *Vidi iam apertiſſimè penituſq́ perſpexi, Romæ abſq́ vllo legitimo fundamento, imò per ſummam vim, innumeros fidei articulos nouos quotidie cudi & nobis obtrudi.* Si tua verba perpendis, fortaſſis ipſe ad huius mendacij magnitudinẽ exhorreſces. Noua dogmata, dicis, apertè falſa, nullo fundamento ſubnixa, tanquam fidei

dei articulos, quotidie, multitudine innumerabilia Romæ cudi, & nobis per ſummam vim obtrudi; nec tamen vllum proferre poteris fidei Romanæ articulũ, qui non fuerit velut fidei dogma, prioribus ſeculis receptus, vel Romæ cuſus, non à Concilio generali definitus.

Secundum mendacium, primum magnitudine æquat, malitiâ ſuperat, cùm pag. 24. ſcribis, *te fugere odij effectus, venena & pugiones. Eò enim,* inquis, *noſtris temporibus redacta res eſt, vt Eccleſiaſticæ controuerſiæ, non Theologis ampliùs, non Concilijs; ſed tortoribus, ſed carnificibus, ſed ſicarijs, ſed ſanguinarijs, ſed parricidis Romæ defendendæ aut Româ committantur.* Hîc planè furis, Antoni, viderîſque quem nominas ſanguinarium animum induiſſe. Non hoc facit Eccleſia Romana, quod inuidiosè confingis: non venenis, non pugionibus, non ſanguinarijs, non parricidis; ſed Patribus, Epiſcopis, doctiſſimiſque Theologis examinandas & decidendas Eccleſiæ controuerſias in Tridentino commiſit. Diremptas verò qui ſuſcitare moliuntur, criminis conuictos fatenteſq; ſe Concilijs repugnare, non ſicarijs, non

parricidis,ſed Chriſtianis Principibus, iudicibuſq; quos illi conſtituerint,puniẽdos tradit. Non damnat Theologorũ ſtudiũ, qui necdum definita diſcutiunt: ſed *Hæreticorum,quod eſt,* inquit Leo Pontifex, *quæ ſunt patefacta iam quærere, quæ ſunt perfecta retractare,& quæ ſunt definita cõuertere.* Caluinianum nobis crimen impingis, qui armis, non quæ à Concilijs ſtatuta, defendunt (quod fieri rectè poteſt;)non cõtrouerſias nondum finitas terminant, (quod minùs intolerabile malũ eſſet) ſed à Concilijs firmata & fixa fidei dogmata pugionibus, gladijs, lanceis refigunt, fidemque Chriſtianis pectoribus Cõciliorũ generalium decretis infixã,manu carnificis ſimul cum viſceribus euulſam flammis iniiciũt.

Epiſt. 76. ad Leonẽ Auguſtũ.

Tertium mendaciũ eſt pag.16.nos Romanos *Eccleſiam illam Chriſti, Catholicã, cui Chriſtus ipſe perpetuam promiſit aſſiſtentiam, contraxiſſe vt ſit ipſa curia Romana.* Quis hoc Catholicus dixit, cogitauit, ſomniauit? Romanã particularẽ Eccleſiam, dicimus Eccleſiam *principalẽ, ad quam propter potentiorem principalitatẽ neceſſe eſt omnem conuenire Eccleſiam*: dicimus Catholicæ Eccleſiæ,cui Chriſtus promiſit aſſiſtentiam, caput:

put: vniuerſalem, & Catholicã Eccleſiam per ſe ſine corpore ſumptã, non dicimus.

Quartum mendacium pag. 16. *Firmâ fide credendum nobis proponi, in ſola curia Romana, imò in ſolo Papa, totum Chriſti ſpiritũ reſidere.* Quid potuit confingi mendacius? Vnus quidem Chriſti ſpiritus eſt, nec in vllo eſt, in quo totus non ſit, ſi ſubſtantiã ſpectes; & hoc ſenſu non negamus, in vnoquoque fideli, nedum in ſummo Pontifice, totum Chriſti ſpiritum eſſe. Tamen, vnus idemque ſpiritus, varia ac diuerſa operatur, quâ ratione non in omnibus totus eſt. Hunc autem ſpiritum per varias operationes diuiſum in ſolo Pontifice nos totũ ponere, ingens falſitas eſt. Primò, ſpiritus Chriſti aſſiſtit electis, quos per huius vitæ miſerias certo curſu perducit in terram viuentium; hunc Chriſti ſpiritum ſoli Pontifici non tribuimus, alios electos præter Pontificem agnoſcimus. Secundò, ſpiritus Chriſti, *ſpiritus adoptionis eſt, in quo clamamus, Abba, Pater;* hunc ſpiritũ non dicimus in ſolo Papa eſſe; nec ſolũ Pontificẽ iuſtum, ſanctũ, filium Dei. Tertiò, ſpiritus Chriſti eſt, qui obſignat corda ſingulorũ fidelium; & vngit vt credant; hunc etiam

ſoli Pontifici non reſeruamus: non illum ſolum fidelem Chriſtianum credimus. Quartò, ſpiritus Chriſti docet Eccleſiam ſuam,ita vt errare tota non poſſit: hunc in tota Eccleſia ponimus; ita vt quidquid vllo ſeculo Eccleſia Chriſti per orbem diffuſa credidit, amplectamur. Quintò, ſpiritus Chriſti iudicat fidei controuerſias,quę de nouo in Eccleſia oriuntur;neque hunc ſoli Pontifici affigimus. Cæteri Epiſcopi cum Pontifice iudices fidei ſunt, coniunctique Pontifici capiti ſuo controuerſias inuiolatè definiunt. Quâ fronte igitur dicis nos totum Chriſti ſpiritum in ſolo Papa ponere?

Quintum mendacium. *Quidquid in honorem vniuerſalis Eccleſiæ Chriſti erectum eſt, id totum ad ſolam curiam Romanam per ſummam vim & iniuriam pertrahi.* Multa quidē prophetarum dicta in Romana Eccleſia perfecta elucent; omnia autem dicta à nobis ad ſolam Romanam, non Eccleſiā, ſed curiam, pertrahi cùm dicis, contra mentem lingua pugnat.

Sextum mendacium. *Concilia ſacra iam diu Romanam curiam compreſſiſſe, & proinde ſanctæ Eccleſiæ oculos eruiſſe.* Si de celebratis

iam

 154.

iam Concilijs loqueris, nulla religioſiùs illa quàm Romana obſeruat; ſi de celebrandis, nónne Concilia Diœceſana, Prouincialia, Nationalia, ſæpiſſimè celebrantur? Quomodo igitur Concilia comprimit? ſi de Concilijs generalibus tantùm loqueris; nónne nuper Tridentinum Romana conuocauit? non eſt autem facile Cōcilia generalia cogere: nec quauis hęreſi exoriente neceſſe, vt ſcripſit Auguſtinus. Doles, vt video, Pontificē ſine Concilio damnare te poſſe: miſera verò Eccleſia, ſi non poſſet. Innatâ hæreticis ſuperbiâ hanc gloriam captas, vt in tua cauſa Concilium cōuocetur. Quam gloriam affectaſſe ſuperbiſſimos hæreticorum Pelagianos ſcribit Auguſtinus, ſeque ſine Concilio proſcribi, velut hæreticos, ægerrimè ferebant. *Orbem Catholicum*, inquit, *quem, Domino ijs reſiſtente, peruertere non poſſunt, ſaltem commouere conantur.* *Lib. 4. aduerſ. duas epiſt. Pelag. c. 13.*

Septimum mendacium. *Epiſcoporum Epiſcopalis adminiſtratio tota periyt, regimen omnium Eccleſiarum totum eſt Romam redactum: ipſi verò Epiſcopi ſunt Domini Papæ vix vicarij & adminiſtri.* Cauſas grauiores ad Romanam Eccleſiam referri oportere,

Patres ſemper cenſuerunt. Hoc ſeruatur; quod abundantius fieri dicis, non Romana praxis ſed tua calumnia eſt.

Octauum mendacium. *Epiſcopos miſerabiliter ſubijci non ſoli Papæ, ſed demum Regularium innumeris Ordinibus, eorumq́; Fratribus: qui ſuis priuilegiis eorum abſorbent poteſtatem.* Næ tu boni nominis curam depoſuiſti, qui tam audacter veritatis metas excedis.

Nonum mendacium. Catholicos Magiſtros, præcipuè Ieſuitas, *ſuam Theologiã ſacræ Scripturæ exactiùs diſcuſſæ & explicatæ dictis non inſtruere; ſummam eſſe apud eos ſacræ Scripturæ ignorationem.* Qui leget Catholicos Doctores, præſertim Ieſuitas, quanta ſit hæc calumnia, cognoſcet.

Decimum mendaciũ. *Aduerſariorum libros, Catholicis optimè affectis & ſacrâ doctrinâ pollentibus, penitus auferri; ne quidem doctiſſimis, nec Epiſcopis vllo modo permitti.* Odium Pontificis immemorem te tui facit. Qui poſſint tot vbique nationum Catholici, veſtris libris reſpondere, ſi nulli penitus legeremus? Certè librũ tuum quamuis proſcriptum me legiſſe, nec me ſolum, tu vides. Verè igitur Cyprianus: *Apud profanos*

ſanos & extra Eccleſiam poſitos, de quorum pectoribus receſſerit Spiritus ſanctus, quid aliud eſſe poteſt, quàm mens praua & fallax, lingua odio venenata, & ſacrilega mendacia? quibus qui credit, cum ijs reperiatur neceſſe eſt cùm dies iudicij venerit. Lib. 4. epiſt. 9. ſecundùm edit. Pamelij, Pariſ. 1574. epiſt. 69.

Maledicentia.

MEndacitati confinis hæretica maledicentia eſt. *Hæretici*, inquit Gregorius, *contra infirmas fidelium mentes, verborum violentiâ graſſantur, & pauperum vulgus ſpoliant, quia cùm doctos non præualent, indoctos quoſque à fidei velamine peſtiferâ prædicatione denudant.* Non eſt neceſſe verborum turbines in tuo libello, Antoni, perquirere vbique diluuios, vbique ſæuientes, vt fidei velamen Catholicorum capitibus verborum violentiâ eripias. Pag. 16. ſic in Romanam Eccleſiam tonas: *Ad fidei articulos Romæ reducuntur plurima, quorum nullam habuimus à Chriſto inſtitutionem: quibúſque inſuper animæ fidelium miſerabiliter decipiuntur, & conſequenter cæci, ſimul cum ſuis cæcis ductoribus in barathrum perditionis ruunt & præcipitantur.* Pag. verò 22. multo acerbiùs in eandem: *Vinea eſt*, inquis, Lib. 16. Mor. c. 24

ad inebriandum Noë. Grex eſt, quem paſtor emungat ad ſanguinem, tondeat, radat, imò excoriet & mactet. Pag. 32. *Cum Romano Pontifice vniuerſalem Eccleſiam nunc maximè turbante, ſcandalizante, expilante, opprimente agere non eſt prophetarum: maieſtas Papæ Romani ficta eſt, temporalis eſt, faſtuoſa, vſurpata, nulla eſt.* Denique odio præſentis Pontificis etiam in ſanctiſſimum Pontificem & Martyrem Stephanum debaccharis pag. 37. *Stephanus indiſcreto zelo ſuis importunis excommunicationibus in malum ſchiſmatis ruebat: Cyprianus verò ſua patientia & charitate eximiáque prudentia ſeparationem euitauit.* Ita ſanctiſſimum Martyrem, quaſi in ſcelus longè hæreſi, tuo iudicio, grauius rueret, accuſas? Deus bone, quàm immeritò! Nihil enim eſſe potuit Stephano cum Cypriano contendente ſanctius, modeſtius, prudentius. Nam cùm Cyprianus conſuetudinẽ, quam ſemper in Eccleſia viguiſſe non negabat, vehementer impugnaret; quid fecit ſanctiſſimus Epiſcopus inter Eccleſię perpetuam conſuetudinem & diuinam Cypriani ſanctitatẽ & doctrinam iudex à Deo conſtitutus? Vtrique quantum, ſaluâ veritate, potuit,
detu-

detulit. Ne Cypriani doctrina & ſancti perpetuam conſuetudinem ſine Concilio generali euerteret, edidit illud à Patribus laudatum decretum: *Nihil innouandum præterquam quod eſt traditum.* Vt verò Cypriani etiam honori & dignitati conſuleret, noluit eam conſuetudinẽ Cypriani doctrinæ ita officere, vt illa velut hæretica, ante Concilium generale haberetur; ſed Cyprianus ſuę opinioni adhęrens in Catholica communione remaneret. Nec verbo violauit Cyprianum, qui tamen commotior (vt ait Auguſtinus) in Stephanum quædam, digna quæ ſupprimantur, effudit. Itaque Patrum iudicio non tantùm veritas, ſed etiam in veritate tuenda modeſtia, charitas, prudentia à Stephani partibus ſtetit. Vide, Antonî, ſi non membrum illius es, *cui datum eſt os loquens ingentia & blaſpemias in tabernaculum Dei; & eos qui in cælo habitãt.* Facis quod te facturum promittis, latras; ſed ſcito in eam te Eccleſiam latrare, quæ (vt ait Auguſtinus) *ſucceſſione Epiſcoporum ab ipſa Apoſtolica ſede, fruſtra circumlatrantibus hæreticis culmen authoritatis obtinuit.* Vulpes ſolutis capitibus, ſed caudis implicatis Samſon

Apoc. 13. 6

De vtilit. credent. cap. 11.

ſon Allophylorũ miſit in meſſes, quod, teſte Ambroſio, innuit, hæreticos *linguas habere liberas ad latrandũ; ſed exitus impeditos:* latrant ferociter, ſed fruſtra irritoq; ſucceſſu; ſe citiùs rumpent, quàm Eccleſiam Romanam à traditæ ſemel fidei curſu dimoueant. Illa diuinis promiſſionibus tanquam cælo infixa, celſa, ſecura, latrantes deſpicit, velut luna canes

Serm. 11. *in pſalm.* 112.

Qui latrant, ſed vaſta volat vox irrita ventis,
Et peragit curſus ſurda Diana ſuos.

Arrogantia magiſterij & poteſtatis ſupra Eccleſiam vniuerſalem.

POteſtatem quam Romano Pontifici abrogatam cupis, tibi arrogas, Eccleſięque vniuerſalis curionẽ te facis. Pag. 29. *Epiſcopo cuique ita tradita eſt Eccleſia ſua particularis, vt tamen nouerit Eccleſiam quoque vniuerſalem, vbi opus ſit, ſibi eſſe à Chriſto commendatam.* Addis pag. 30. *Epiſcopum quemuis, vbi opus ſit, relictâ propriâ Eccleſiâ ad alias afflictas & laborantes poſſe ſe propriâ authoritate conferre.* Ita poteſtatem in vniuer-

uerſalem Eccleſiam tibi, ſoli ſumis, ſubdolè tamen. Illam enim cuiuis Epiſcoporum, quos omnes pro ſua modeſtia recuſaturos ſciebas, offers, vt cùm nemini obtrudi poſſet, ad te illius authorem, velut præcipuè & maximè propria relaberetur. *Imò* (inquis pag. 30.) *mei muneris maximè proprium eſt, vt Romanæ curiæ ſectam ſeparatam facienti & gregem Chriſti laceranti, pro mea virili ſubueniam.* Nouus ſcilicet Atlas cælum ſeu Eccleſiam vniuerſalem tuis humeris fulcies: cui muneri adeò ſufficere te exiſtimas, vt ſi Romanus Pontifex & Catholici Epiſcopi tuis conſilijs initi voluerint, quid fiet? *Breui*, inquis, *futurum ſpero, vt plena pax atque concordia adeóque neceſſaria ſanctarum Eccleſiarum vnio conſequatur, vt idem ſapiamus, & in eadem permaneamus regula.* Nimium ſperas, nimiũ tibi ſumis miſelle; fuerunt ſectæ te necdum nato, eruntque te mortuo, quarum numerum viuus hac tuâ ſuperbiâ auges, quæ flenda magis eſt quàm confutanda. Quid enim: vt Rom. Eccleſię Epiſcopi tibi ſe ſubijciant, putáſne reliquas ſectas, Græcas, Lutheranas, Caluinianas, Anabaptiſticas tibi futuras ſtatim dicto audientes?

Quæ tua vanitas eſt,non videris de earum omnium erga te obſeruantia dubitare. Neſcis, Antoni, neſcis, qui turbines, quæ tempeſtates ſectarum (in Aquilone præſertim) dominentur: quos in vnum Concilium conuocare ſi potueris, vel congregatos in pace continere, næ tu potentior Aeolo ſis. Iam tibi prædico, contemptui te Caluinianis futurum; feminæ te puellæque ridebunt, biblicam ſuam peritiam tuæ præferent, conglobatis teſtimonijs & vno ſpiritu prolatis te obruent. Si contrà muſſitare præſumpſeris, ſtatim Papiſta audies: ſi non conſenſeris, oculorum tuorum miſerebuntur, quòd Pontificijs tenebris tam diu aſſueti plenè coruſcantem Euangelij lucem ferre non poſſint. Hoc Caluinianũ ingenium ſi minùs noſti, tuo malo diſces.

Sed vt reuertar ad tuam quam tibi præſumis, Eccleſiæ vniuerſalis curam poteſtatemque, pro tuo libitu, quas laborare iudicaueris Eccleſias inuiſendi, dupliciter erras. Primò, quòd putes licere Epiſcopo, vt alijs Eccleſijs laborantibus ſuppetias ferat, ſuam deſerere, atque ita deſerere, vt præſidijs ſalutis penitus deſtitutam lupo voran-

vorandam exponat. Hoc enim te facere & licitè facere putas, vt Romanæ Eccleſiæ ſubuenias. Quis hoc ſanctorum Epiſcoporum fecit aliquando? quis licere dixit? Etiam illos quos tibi ſumis in exemplum, fateris non niſi ſuis benè conſtitutis, alienis Eccleſiis operam dediſſe, ad eaſq; tranſiiſſe. Secundus error eſt, poſſe Epiſcopum propriâ auctoritate alienas Eccleſias laborantes inuiſere & componere, etiam Epiſcopis, quibus propria cura incumbit, inuitis. Quo pacem concordiamque Eccleſiæ penitus euerti, nemo ſapiens non videt. Nam, ſi quiuis Epiſcopus, cùm opus eſſe iudicauerit, propriâ auctoritate in alienos fines excurrat, controuerſias cognoſcat & ſopiat; fieri non poteſt quin inter ſe ſæpiſſimè Epiſcopi occurrant, mutuiſque diffidijs collidantur. Nec video quid cogitari potuerit aut fingi ad pacem Eccleſiæ turbandam accommodatius. *Epiſcopatus quidem* (vt inquit Cyprianus) *vnus eſt, cuius ab vnoquoq; Epiſcopo in ſolidum pars tenetur*; ſed ita vnus eſt, ſicut corpus humanum vnum eſt, cui caput præeſt, quod cæteris membris imperet: ſic in vno orbis Epiſcopatu vna ſe- *De v it. Eccl. c. 4.*

des eſt, cæteris altior, & (vt ait idem Cyprianus) *principalis, à qua vnitas ſacerdotalis exoritur, ad quam perfidia habere non poteſt acceſſum.* Huius ſedis per cæteras diffuſus principatus glutinum eſt, quod eas inter ſe charitate copulat & coniungit. Hæc Eccleſiæ vniuerſalis neceſſitatibus proſpicit, & Epiſcopos, cùm opus fuerit, ſuis Eccleſiis benè conſtitutis, vt alienis opitulentur, legat & mittit, ſicut ab ea miſſi fuerũt Hoſius, Athanaſius, Euſebius Vercellenſis, Lucifer Calaritanus, & alij, quos tu propriâ auctoritate ſe ad alienas Eccleſias laborantes contuliſſe ſcribis; ſed qui tuus mos eſt, non probas. De Lucifero Calaritano & Euſebio ſcribit Theodoretus lib. 3. c. 4. *obiuiſſe Orientales Eccleſias, & nominatim Alexandrinam & Antiochenam, vt viderent ne decreta Concilij Niceni violarentur: Luciferum quidem Antiochiæ Paulinum deſignaſſe Epiſcopum, Euſebium verò Alexandriæ vnà cum Athanaſio Concilium coëgiſſe; ad quem miſit Lucifer diaconum, per quem ſignificat ſe rebus, quas Concilium decerneret, aſſenſurum.* Hæc illos propriâ auctoritate feciſſe putas, & tibi ſimilia faciendi, ſi opus iudicaueris, poteſtatem

Epiſt. 55. ad Cornelium.

 ſup-

ſuppetere exiſtimas. Iure cum Auguſtino exclamem: *O quid non audet typhus morticina carnis! quò non ſe præcipitet præſumptio carnis & ſanguinis?* Scire debebas, Antoni, quod teſtatur Gregorius Nazianzenus, *In monodia in vitâ S. Baſilij.* hos duos Epiſcopos *Luciferum & Euſebium ex vrbe Roma miſſos in Orientē*, nominatim vt ſeditionem Cæſarienſem ſedarent. De *Lucifero* verò ſcribit Hieronymus, à Liberio Romano Pontifice in Orientem ad *In Catalogo de viris illuſtribus.* Conſtantium Imperatorem eſſe miſſum. Vnde colligas, nō propriâ ſed à Romano Pontifice delegatâ auctoritate tanta potuiſſe. Itaque non Luciferum Calaritanū facti tui habes exemplū; ſed Luciferum principem ſuperbiæ; cùm in lateribus Aquilonis excitare tibi ſolium vis: vt ſicut in Auſtro Deus per Romanum Pontificem vniuerſalem Eccleſiam gubernat, ſic in Aquilone ille qui ſimilis eſſe cupit Altiſſimo, per te in vniuerſos Chriſtianos, ſi fieri poſſet, tua conſilia deriuet. Quid verò tibi venit in mentem, vt te ſanctiſſimis illis Eccleſiæ heroibus comparares? Contraria inter ſe collata clariùs eluceſcūt. In illorum exemplo, velut in ſpeculo, videmus quàm oppoſitè ad ſanctitatē

facias omnia. Illi ſuas Eccleſias non niſi benè conſtitutas commendataſque reliquerunt: tu tuam planè deſtituis lupo (vt putas) occupandam. Illi ad Romanam Eccleſiam conſilij causâ accedebant, vel ab ea mittebantur vt alijs auxilium ferrent: tu Sedem Romanam fugis, execraris, blaſphemas. Illi doctrinæ & ſanctitatis opinione notiſſimi, à multis Epiſcopis vehementer inuitati, & tacitis totius Eccleſiæ ſuffragijs expetiti, ad componēdas fidei controuerſias ſe conferebant: tu, nec ſedis tuæ dignitate cæteris eminentior, nec eruditione, nec ſanctitate commendabilis, homo prorſus obſcurus, qui ab hac deſertione famam ordiris, orbi, qui nunc primùm nomen tuum audiuit, vniuerſalem te Curatorem ingeris. Illi pro ſtatuta à Concilijs & definita fide laborabant: tu doctrinam euertere vis, quam noſti à multis iam ſeculis Conciliorum auctoritate ſtabilitam. Illi denique certabant aduerſus hæreticos, vt à Conciliis damnati, Catholicâ etiã communione pellerentur: tu pro hæreticis damnatiſſimis pugnas, vt à Conciliis proſcripti in Eccleſiam recipiantur, ſi modò

Chri-

Chriſtum per *eſſentialia*, vt loqueris, *ſymbola* profiteri velint. Illius videris eſſe ſententiæ, quam in quibuſdam Donatiſtis damnat Auguſtinus: *Nihil intereſſe in qua quiſque parte Chriſtianus ſit. Nec conſideras, id vni Deo congruere, vt in vnitate colatur.* Sic compoſitus cum ſanctis antiquis Patribus iuſtus ſcilicet appares. *Epiſt. 48.*

Adulatoria doctrinæ nouitas.

DVo vitia hæc vorago complectitur, vtrumque hæreticorum proprium: noua dogmata cudere; & ſuis auditoribus, præſertim Regibus, adulari. De primo ſcribit Irenæus, *recentiores hæreticos ſemper nouum aliquid per dies ſingulos adinuenire, quod nunquam quiſquam excogitauit.* De ſecundo verò Hieronymus: *Adulari propriè hæreticorum eſt, & eorum qui decipere cupiunt audientes: dicente Apoſtolo, Huiuſmodi Chriſto Domino non ſeruiunt, ſed ſuo ventri; & per dulces ſermones & benedictiones ſeducunt corda innocentium.* Dogmata, Antoni, multa in libello tuo habes noua, qualia ſunt: Primò, poſſe Epiſcopum metu perſecutionis Eccleſiam ſuam penitus de- *Lib. 1. c. 1.* *Lib. 1. cont. Pelag.*

deſerere. Secundò, vnicuique Epiſcopo ſic datam eſſe curam vniuerſalis Eccleſiæ, vt propriâ auctoritate poſſit ſe aliarũ Eccleſiarum negotiis immiſcere. Tertiò, nullam, quæ Chriſtũ per eſſentialia ſymbola profitetur, ſectam à Catholica communione repellendam. Quartò, longè grauius malum eſſe in Eccleſia ſchiſma quàm hæreſin. Hæc ſuperiùs tacta ſunt & refutata. Alia quatuor habes, quæ (depreſsâ Eccleſiâ) Regibus abblandiuntur, ex quibus mihi tria noua videntur, & propriè tua. Primum eſt, Reges in Eccleſia multa poſſe. Secundum, Eccleſiã in temporalibus nihil omnino poſſe, maximè erga Reges. Tertium, omnem iuriſdictionem ab Eccleſia procul reijciendam eſſe. Hæc tria expreſſis verbis habẽtur pag. 28. & 29. Primum tecum communiter tenent Parlamentarij Anglicani; duo poſteriora noua ſunt, nec ſolùm Patribus antiquis repugnant, ſed etiam hæreticis noſtri ſæculi Puritanis, Proteſtantibus, & illis, qui nuperum Angliæ iuramentum defendendum ſibi ſumpſerunt. Nam poteſtatem Eccleſiæ etiam aduerſus Reges non negant; imò, fatentur Eccleſiã poſſe

etiam

etiam in temporalibus, quando ſalus animarum id poſtulat, Regibus præcipere; quamuis contendunt non poſſe refractarios regno ſpoliare. Quartum verò dogma planè nouum ac tuum auſim dicere, nec obſcenius excogitari facilè poſſe, quo maximè videris ad Magnæ Britanniæ Regis curiam & culinam ventri tuo viam ſternere voluiſſe. Hoc verò eſt; Reges ſi peccent, non tamen debere corripi aut obiurgari, vel à familiaribus, vel à ſacerdotibus, vel à ſummo Pontifice: ſed tantùm à Prophetis à Deo ad hoc munus ſingulariter deſtinatis. hoc te ſentire conuincam conuictumq; Sereniſſimo Regi iudicandum relinquam. Furem te diceret Romanus ſapiens, qui veritatis amantes liberoſque Regum monitores à curijs iniecto peccati terrore arces, Regibuſq; theſaurum eripis quo vel maximè carent. *Monſtrabo,* inquit, *cuius rei inopia laborant magna faſtigia, quid omnia poſſidentibus deſit; ſcilicet ille qui verum dicat, & hominem inter mentientes ſtupentem, ipsâq; conſuetudine pro veris blanda audiendi ad ignorantiam veri perductum vindicet à conſenſu falſorum.* Talis Regum *Seneca lib. 6. de Benef. c. 7.*

gum monitor ex officio ſummus Pontifex eſt, & à Deo ſummo Regum bono conſtitutus, cui hanc facultatem eripere conaris. Sic enim pag. 31. vt probes quemuis Epiſcopum ſummum Pontificem licitè obiurgare poſſe, à diſcrimine quod eſt inter Regem & Pontificem rem explicas, & à terreni Regis admiratione ſic ordiris: *Tremenda quidem eſt Regis terreni maieſtas, qui, vt Tertullianus loquitur, poſt Deum ſecundus eſt, & ſolo Deo minor, & ſuper quem, vt ait Optatus, non eſt niſi ſolus Deus. Propterea cùm aliquando Rex Dauid de adulterio & homicidio eſſet obiurgãdus, non ſummus Pontifex, non alius aut ſacerdos aut Leuita, non quiſpiam aut amicus & familiaris, id muneris auſus eſt aſſumere; ſed Deus ipſe ſuos proprios & peculiares ad id adhibuit nuncios, Nathanq́ Prophetam ad Regem increpandum deſtinauit. Cùm Romano verò Pontifice, vniuerſam Eccleſiam nunc maximè turbante, agere, non eſt Prophetarum; non eſt expectandum vt Deus ad hoc ſingulares excitet Prophetas, & deſtinet nuncios peculiares. Non eſt noſtri Romani Papæ, non eſt tanta maieſtas, vt terrere debeat. Ficta eſt illa, temporalis & faſtuoſa maieſtas, vſurpata eſt, nulla eſt; frater noſter*

ſter ille eſt, collega eſt, & coëpiſcopus nobiſcum. Hæc omnia tua verba ſunt, Antoni, quibus adulatoriam, quam dixi, doctrinam ſpiras. Dicis Pontificiam maieſtatem non debere Epiſcopos terrere, quin eam obiurgent: terreni verò Regis maieſtatem ſic eſſe tremendam, vt nemo qui Propheta non ſit, ne quidem ſummus Pontifex, obiurgandi illius ſibi munus aſſumat. Vel loqueris de timore ignauo, quem timidi deferre ſolent ijs qui corpus poſſunt occidere; vel loqueris de reuerentia pia & ſancta iure meritoque debita, quam ſi negligimus, peccamus. De primo timore ſi loqueris, fingis inter Pontificem & Regem differentiam quæ nulla eſt. Nam timorem ſeruilem (qui facit, vt officium negligatur) ſicut Pontificia maieſtas non debet incutere, ſic nec Regia maieſtas debet, cùm Chriſtus præceperit *ne timeremus eos qui corpus occidunt, animam verò non poſſunt occidere*. De facto verò, ſicut Rex plurimos ab officio quod illi deberent pendere correptionis, ſuâ maieſtate terret; ſic etiam Pontifex. Alioquin, cur tu fugis? fictámne fugis maieſtatem? fictos carceres? ficta tormēta? fictos ignes?

Non ita deliras. Igitur, quod ad timorem ſeruilem & ſordidum incutiendum attinet, Regiam à Pontificia maieſtate non niſi ineptè diſcernis, quia hunc timorem incutere, æquè neutra debet, æquè vtraque poteſt. Igitur, loquens de reuerentia pia & ſancta, quam non mortis ſed peccati metus incutit; hanc verò reuerentiā Pontificis maieſtati non conuenire dicis, nec debere Epiſcopos à Pontifice obiurgando metu peccati deterreri; Regi verò conuenire talem reuerentiam cenſes, atque adeò, qui Regem obiurgat ac corripit (etiam ſummus Pontifex) contra debitam Regibus reuerentiam facit & peccat. Hæc verò doctrina, quàm impia & abiecta ſit (ſi conſideremus argumenta quibus ad eam corroborandam vteris) ſtatim apparet. Tria ſunt, ex triplici diſcrimine quod inter Regem & Pontificem ſtatuis.

Primum eſt: Pontificis maieſtas nulla eſt, ficta eſt, temporalis eſt: maieſtas verò terréni Regis tremēda eſt. Igitur, illa obiurganda, hæc verò nequaquam, etiamſi grauiſſimè peccet. Hoc diſcrimen inter terrenam & Pontificiam auctoritatem

non probas. Quia illud, non ex ratione hauſiſti, ſed ex reuelatione illius nimirum ſpiritus, qui præeſt *terrena ſapientibus, quorum Deus venter, & gloria in confuſione ipſorum:* à quo doctus Lutherus, ſtatum virginitatis cum ſtatu coniugij comparans, *In cap. 7. epiſt. 1. ad Corint.* illum *ethnicum eſſe, ſæcularem, terrenum, luteum; hunc verò ſpiritualem, cæleſtem, diuinum, aureum,* ſcripſit. Hoc illi caro reuelauit & ſanguis; tibi verò Pontificiam maieſtatem præ Regia fictam, temporalem, nullam eſſe venter dixit & mundus. Longè diuiniùs ſanctis olim Epiſcopis à Spiritu ſancto edoctis Pontificia dignitas ſapiebat: quam ſupra Regiam euehebant tanto interuallo, quanto cælum à terra, ſpiritus à carne ſeparatur. *Vos,* ô terreni Principes (inquiunt illi) *poteſtati noſtræ, noſtriſq; ſubſellijs lex Christi ſubiecit: imperium ipſi quoque gerimus etiam præstantius & perfectius; niſi verò æquum eſt ſpiritum carni faſces ſubmittere, & cæleſtia terrenis cedere.* Quàm de ſua poteſtate altè pij Præſules ſentiebant? Tu, *cui poteſtas ligandi & ſoluendi quæ in cælis, & quæ in terris,* prę terrena maieſtate deſipit, næ tu iuſtè (velut ſal infatuatū) in ſterquiliniū proiectus es.

Se-

Secundum diſcrimen ſtatuis inter Regem & Pontificem, quòd Pontifex frater & collega Epiſcoporum ſit; Rex verò poſt Deum ſecundus, & ſolo Deo minor. Ex illo quòd frater Epiſcoporum ſit Pontifex, poſſe Pontificem à coëpiſcopis corripi, & liberè moneri, colligis. Et rectè, ſi iuſta cauſa ſuppetat, ſi debita cum modeſtia correptio fiat, ſi loco, tempore, modo quo prodeſſe Pontifici & Eccleſiæ poſſit. Ex hoc verò quòd Rex à Deo ſecundus ſit, colligis neminem Regi obiurgando ſufficere, niſi Prophetam à Deo ſpecialiter excitatum. Igitur cenſes dignitatem Regiam, quæ eſt à Deo ſecundum eſſe, facere vt Rex filius Eccleſiæ non ſit, nec filiorum Eccleſiæ frater. Nam ſi Rex à Deo in temporalibus ſecundus, in ſpiritualibus filius Eccleſiæ ſit, cur non poterit à matre, ſi delinquat, obiurgari? ſi frater filiorum Eccleſiæ ſit, cur non poterit à fratribus, debita quidem cum modeſtia, prudentia, charitate tamen, liberè corripi? Verè Apoſtolus, *Quis filius quē non* (*Hebr.* 12. 7. 8.) *corripit pater? Quòd ſi extra diſciplinam eſtis: ergo, non filij ſed adulteri eſtis.* Nunquam poteris Regem ab Eccleſiæ & Epiſcoporum

rum

rum correptione excipere, niſi eum è numero filiorum Eccleſiæ eximas. Hoc autem vide ne feceris, non quidem ne Patribus contradicas, hoc enim penſi non habes; ſed ne Regem Sereniſſimū, cui placere hac adulatione cupis, offendas. Nam Guilielmus Tookerus Decanus Liechfieldenſis, in ſuo aduerſus Becanum duello pag. 311. ſic ſcribit: *Sereniſſimus ac potentiſſimus Rex noſter Iacobus non habet quicquam antiquius & honorificentius, quàm vt cum Valentiniano filium ſe Eccleſiæ profiteatur, & cum Theodorico Italiæ Rege ſe alumnum Eccleſiæ, & diſcipulum Archiepiſcoporum ſuorum & Epiſcoporum libenter recognoſcat.* Audi, Antoni: Regem filium Eccleſię vel negas, vel affirmas: ſi negas, eripis (ſi Tookero credimus) titulum Regi, ſibi quem ducit honorificentiſſimum; ſi filium Eccleſiæ, & tamen è diſciplina eximis, Apoſtolo teſte, non verè filium ſed adulterum facis. Vbique perplexus es: & ineptus, vel diſputator vel adulator.

Tertium diſcrimen fingis inter Regem & Pontificem, quòd cum Pontifice agere non eſt Prophetarum: Regi verò obiurgando Prophetas & nuncios peculiares

adhibet Deus. Hoc diſcrimen probas exemplo Dauidis; qui, cùm eſſet de homicidio & adulterio obiurgandus, nemo mortalium, ne quidem ſummus Pontifex hoc auſus eſt, propterea quòd Dauid Rex erat & ſolo Deo minor. Falſa confingis, nec inde rectè concludis. Primò, falſum eſt Dauidem fuiſſe de adulterio & homicidio obiurgandum. Dauid enim tectè peccauerat; Vriam gladijs hoſtium inſidiosè obiecerat: ſcelera eius ſcire vix mortalium quiſquam poterat; nedum obiurgare. Secundò, falſum eſt ſummum ſacerdotem non auſum corripere Dauidem, propterea quòd ſolò Deo minor eſſet. Non corripuit, quia dignum correptione eſſe, neſciebat. Nam ſi ſciuiſſet, cur non ſanctè in Dauidem auſus fuiſſet, quod in Oziam Regem ſummus ſacerdos Azarias fortiter conſtanterque fecit, quem acriter increpitum templo eiecit? Iam verò quàm ineptè diſputas, ex eo patet, quòd, ſi tuo more ratiocinari vellem, etiam ſummum Pontificem, non niſi à ſingulari Propheta aliquo corripi poſſe facilè conficerem. Nam Deus etiam ſummo Pontifici obiurgando, ſpeciales nuncios

2. Paral. 26.

cios

cios adhibuit. Heli ſummus ſacerdos cũ nimiâ indulgentiâ filios grauiſſimis & publicis ſceleribus Dei cultum contaminare permitteret, atque publicè obiurgari mereretur; nullus vel ex ſacerdotibus, vel Leuitis, vel ex amicis & familiaribus legitur eum obiurgare auſus; ſed Deus ſingulares ad hoc munus Prophetas deſtinauit. Igitur Prophetarum tantùm eſt Pontificem corripere? Hoc multò eſt quàm tuum fortius argumentum: tamen ſi ſic arguerem, ineptiſſimum me faterer; vel ſi negarem, alij certè iudicarent. Sed, qui terrena ſapis, terrenamque maieſtatem cælesti & ſpirituali ineptè prælatam cupis, quid mirum ſi terrea ineptaque argumenta feras?

Vaniloquium.

SCribis pag. 28. te vocem audire tibi in auribus perpetuò intonantem, *Clama.* Huic voci obedis, faciſque quod faciunt hæretici, *quorum doctrina*, teſte Hieronymo, *non in ſenſu, ſed in multiloquio & clamore verſatur.* Voces fundis, quibus vel aërem verberas inani ſono, vel tecum ipſe *In cap. 22. Iſaia.*

pugnas,

pugnas, deſtruiſque quod dixeras. Exempla vtriuſq; generis obuia ſunt; ego pauca delibabo. Pag. 35. Vniuerſalis Eccleſiæ regimine à teipſo donatus, ſic grauiter Eccleſiam Romanam corripis. *Articulos in ſe indifferentes in Eccleſia nunquam ſufficienter diſcuſſos, ſtabilitos & definitos, pro articulis fidei, niſi priùs ad plenum definiantur, aut iam ſufficienter definiti eſſe oſtendantur, nequaquam admittamus: ſed neque eos, vt hæreticos, niſi priùs ab Eccleſia ſufficienter damnatos eſſe nobis conſtiterit, aut condemnentur, condemnemus. Relinquatur itaque in indifferentibus libera cuicunque Eccleſiæ facultas opinandi & operandi, & vnaquæque abundet in ſenſu ſuo, donec ipſa Eccleſia ſpiritu Chriſti inſtructa & recta controuerſiis finem imponat, veraſq; paleas ſeparet à veris granis.* Quot in ventum tu paleas hîc inaniter fundis? Quem hæ voces tangunt? Quis dogmata controuerſa, niſi priùs ſufficienter & plenè definiantur, velút articulos fidei admitti poſtulat? Quis hæreticos ceſeri vult, quos Eccleſia à Spiritu ſancto inſtructa non damnat? nemo prorſus. Quod Catholici facimus, hoc eſt: Romani primatus negatores à tot Conciliis pro-

proſcriptos, velut hæreticos execramur. Hoc ægrè te habet, Concilia illa tibi plena non ſunt, quia tu ſcilicet vniuerſalis Eccleſiæ Paſtor tuum calculum non apponis? Sic pag. 38. inani iterum murmure intonas: *Sentiamus & nos inter nos diuerſa, quouſque plenè definiantur quæ plenè nondum definita ſunt: ſed interim tamen maneamus in vnitate. Nolite maiora quàm ſunt ſchiſmata facere.* Sic inepte operã & oleum perdis. Quid enim à te poſtulamus, vt credas; quod non fuerit aliquando Concilij generalis decreto ſtabilitum? Romanum ſcilicet Pontificem eſſe totius Eccleſiæ caput, & Paſtorem à Deo conſtitutum, Oriens & Occidens nouem Concilijs generalibus ſtabiliuit. Quid poterit plenius excogitari? nec tamen tibi plenè eſt ſatisfactum, ſed pleniores adhuc definitiones inflatis buccis poſtulans pergis, donec librum hac ferè ſententiâ claudas: *Luce veritatis Euangelicæ, abſque firma obſtinatione, tenebras errorum & falſitatum diſijciamus.* Quæ verba quem ſenſum niſi planè abſurdum faciant, planè non video. Iam quòd non tantùm in aërem, ſed in teipſum pugnes, manifeſtum

facient hæc apertiſſimæ contradictionis exempla.

Prima contradictio.

Paginâ 8. & 9. dicis *tibi diligentiam Romanam in prohibendis aduerſariorum libris ſemper diſplicuiſſe. Suſpicione*, inquis, *rem non carere, vt ratio meritò dictat, ſemper ſum arbitratus.* Sempérne, Antoni? nunquámne morem legendi libros Romanæ doctrinæ aduerſarios ſupra modum es deteſtatus? pag. 4. vt probes, te ex noſtrorum aduerſariorum libris conſilium diſceſſionis tuæ non hauſiſſe, ſic ſcribis: *Deum ſanctè teſtor, me ab illis libris quos Romana proſcripſit diligentia, vehementer abhorruiſſe: quos profectò, ſi vllus alius Romanæ curiæ addictus Prælatus eſt deteſtatus, ego ſanè vanis à puero conceptis terroribus, ſupra modum ſum deteſtatus.*

Secunda contradictio.

Pag. 9. ſcribis te doctrinam Romanã, quòd libros prohiberet, *ſuſpectam ſemper habuiſſe*, quòd infirma eſſet, *nec conuellendis aduerſariorum argumentis ſufficeret.* pag. verò 7. contrarium dicis, *Romana ſcilicet propria placita fuiſſe cum vera intellectus captiui-*

tiuitate tibi impreſſa, atque penitus in animam infixa, vt pro ijs mori fueris paratiſſimus. Quomodo in animum penitus impreſſa & infixa, ſi ſemper ſuſpecta? ſi ſemper, cum formidine, illa es amplexus?

Tertia contradictio.

Pag. 25. dicis, *te hac fugâ amplecti detrimenta opum & dignitatum*, & pag. 25. *te habuiſſe ſub Pontifice ſatis amplam dignitatem, & non contemnenda commoda.* pag. verò 22. dicis Epiſcopos, qui ſimul Domini temporales non ſint, qualis ſcilicet tu non eras, hos meros Epiſcopos, dicis eſſe *Domini Papæ vix adminiſtros, viles, contemptibiles, oppreſſos, conculcatos, miſerabiliter ſubiectos.* Vide quàm tibi non cõſtas, quamque inter ſe non cohærent, *vilis ſeruitus*, & *ampla dignitas*; *non contemnendus honor*, & *miſerabilis ſubiectio.*

Quarta contradictio.

Pag. 22. ſcribis, *Eccleſia ſub Romano Pontifice non eſt ampliùs Eccleſia, ſed Reſpublica quædam humana, ſub Papa Monarchia tota temporali.* Hîc dicis quæ Romano Pontifici paret, non eſſe Eccleſiam; ſed alibi,

non ſolùm Eccleſiam vocas, ſed etiam Eccleſiam Chriſti, pag. 29. *Epiſcopus in Eccleſia Chriſti ſum*; qui tamen eo tempore, niſi in Romana Epiſcopus non eras. pag. 35. Romanæ Eccleſiæ Epiſcopos *Sanctiſſimos collegas* appellas. pag. 39. Romano-Catholicos Epiſcopos alloquens, *Communionem veſtram ſaluis opinionibus, pulſis tamen falſitatibus, promptam omnibus exhibete.* Nemo communicare poterit, vel cum altero facere commune quod non habet. Si Romana, Chriſtiana communio & ſocietas non eſt; quomodo Chriſtianam ſuam ſocietatem & communionem promptam alijs exhibere poterit? Si merè & tota temporalis eſt, quid poteſt alijs, quàm merè temporale commercium, & humanam pacem dare?

Quinta contradictio.

Pag. 39. præcipis Catholicis Epiſcopis, vt *pacem & charitatem omnibus Chriſti Eccleſiis per eſſentialia fidei ſymbola Chriſtum profitentibus reſtituant*. His verbis ſolùm requiris profeſſionem eſſentialium ſymbolorum, ſed vix tribus lineis intermedijs, hæc ſequitur ſententia: *Communionem*

nem veſtram, ſaluis opinionibus, pulſis tamen falſitatibus, promptam omnibus exhibete. Iam poſtulas non ſolùm profeſſionem fidei, *per eſſentialia ſymbola*, ſed etiam *abnegationem falſitatum* : quarum nec qualitatem exprimis, nec modum ponis. Neque tamen in hac doctrina conſtans es. Nam pag. 36. laudas Cyprianum, *quòd cum errantibus, & cum ijs quos grauiſſimo errore teneri exiſtimabat, communicaret.* Errores igitur tolerari vis, nec communionem ea de cauſa rumpi, cùm tamen in ſuperiori ſententia non vis communionem exhiberi, niſi pulſis falſitatibus. Quæro, Antoni, an errores falſitates non ſint? ſi ſunt, quomodo communio exhibenda non eſt, niſi pulſis falſitatibus, ſi ſit exhibenda non abiectis erroribus? Nimis turpiter tecum ipſe pugnas: & hinc animaduertere potes quàm ſit difficile hominẽ abire à veritate, & non pugnantia loqui: ideoque mendacem debere eſſe memorem & ſollicitum, alioqui ſtatim deprehendetur.

Sed de his ſatis: finiam igitur. Quis fueris; quibus gradibus corrueris in profundum; quis modò ſis; & in quanto barathro hęreticę nequitię iaceas, hac Syn-

opſi explicaui. Quid ni, quis tandem futurus ſis, paucis verbis Apoſtolicâ cenſurâ definiam; *Non proficies ampliùs : ſed inſipientia tua nota erit omnibus.* Iam detectũ, ſi minùs tu teipſum, te ſaltem alij (etiam Proteſtantes) agnoſcent. Mirabuntur te tot apertè falſa, abſurda, impia, tam multa quibus tecum ipſe pugnas, quæ te totum prodant, quæ cauſam tuam penitus euertant, in vnum libellulum, quo te defenſum volebas, congerere voluiſſe, vel certè potuiſſe.

EPILOGVS.

NON proficies ampliùs, Antoni, niſi redeas ad Catholicam à qua defeciſti. Aberraſti: ſi progredi vis, regredi priùs debes. Non te detineant à reſipiſcentia aduerſariorum noſtrorum plauſus, quibus venientem exceperunt. In rebus nouis etiam vulgaribus, vulgare eſt: & nihil in hoc faciunt illi à priſcorum Eccleſiæ hoſtium ingenio alienum. Apoſtatæ cùm ſint, *Apoſtatas noſtros* (vt ait Tertullianus) libenter admittunt, ſtatim honoribus augent, dignitatibus admouent: *vt gloriâ obligent, quia veritate non poſſunt.*

Præſ. c. 41.

Nuſ-

Nuſquam faciliùs proficitur quàm in caſtris rebellium, vbi ipſum eſſe illic, promereri eſt. Nec mouearis vocibus, laudibus, augurijs, quibus Romanum Pontificem (te duce) ſe debellaturos ſperant. Bullæ ſunt, ſpumæque, quas tu è ſublimi faſtigio tanto cum impetu lapſus in barathrũ excitaſti: propediem vnà tecum euaneſcent: ſperne. *Oleum peccatoris* ſunt, quo deuoti ignibus miſelli perfricantur, vt in futuro acerbiùs ardeant: exhorreſce. Figmenta ſunt, quibus vanè nobis inſultant; falsò te coràm laudant, qui ſecretò dicterijs in te iuſtis iniuſtiſque ludunt. Neſcis quę nuper, cùm ad ædem S. Dunſtani in triuio (nouo more) verba faceres ad populum, à circumfuſa multitudine in te iactata ſunt. Ventroſum te Doctorem appellabant ſub Antichriſto incraſſatum. Nec defuêre qui dicerent, te priuſquam fugeres, lapſum in crimen quod ob modeſtiam prætermitto, indeq; metu pœnæ celeri fugâ pingue corpus proripuiſſe. Non hæc refero, quòd vera putem, multoque minùs vt improperem, ſed vt videas quàm ſint hæreticorum vana præconia, quamque vanus tu vates,

qui diuinabas *Saram tuam pulcherrimam* (ſic famam tuam vocas) inter barbaros inuiolatam futuram. Non enim hæc Romæ Catholici, ſed Londini Proteſtantes in compitis loquebantur. Multa etiam de te Magnates muſſitant, te nihil tecum attuliſſe, præter granditatem corporis, quod magnitudini titulorum tuorum reſpondeat. Librum non eſſe parem apparatui quo promiſſus eſt, nec ſecum adferre quod ſpoponderas: quare vt in lucem prodeat, debere aliorum ingenijs poliri, ex alienis lucubrationibus ſuffarcinari.

Quid hæres, Antoni, in medio nationis prauæ & peruerſæ? cur deducis canos tuos cum dolore & dedecore ad inferos? Veras laudes ambi, qui vanas, quas ſcelerate expetieras, amiſiſti. *Apocal 2. verſ. 5.* *Redi ad cor, memor eſto vnde excideris: age pœnitentiam, & prima opera fac.* Diuinæ miſericordiæ monumentum cum bono Deo te erige, ſeculoque noſtro futuroque ſalutare, admirandum. A tuo exemplo læti poſteri diſcant, non eſſe ita nauſeabunda infinitæ benignitatis viſcera, quin Apoſtatas, tepidos, proiectoſque reſorbeant. Vince pudorem & humanum metum: honorē

pœ-

pœnitentię affecta qui decus innocentiæ perdidiſti.Qui clauo amiſſo, è naui,quam regebas, excuſſus, fluctuas in Oceano, tabulam amplectere,quæ tibi porrigitur, vt enates ad regnum.Propè ſexagenarius iam es, qui tibi ſuperſunt anni mali ſunt, pauci ſunt:malos à vitijs ſubtrahe, vt *dies videas bonos*; paucos pœnitentiæ impende, vt *annos* compares *æternos*.Nec te terreat acerbitas pœnitentiæ, quam cælitus defuſa ſolatia dulcorabunt.*Vbi ſuperabundauit delictum,ſuperabundabit & gratia.*Quo profundiore ex barathro emerſiſti, hoc ſuauiùs reſpirabis in luce miſerationum Saluatoris tui.

Nec durum tibi videatur quòd cecideris:vt diuinæ iuſtitiæ, ſic etiam miſericordiæ abyſſus multa.Quis cognouit ſenſum Domini, an hunc lapſum tuum eſſe velit in reſurrectionem tuam & multorum?Secreta quâ te aduerſus Deum erigebas ſuperbia defulminanda fuit; quâ ſtante, non poteras ſaluari ab eo qui humilia reſpicit, & alta à longè cognoſcit, Quapropter, nec tuâ quidem causâ tuus me diſceſſus affligit: affligeret verò ſi putarem in Catholica te fuiſſe ſaluandum.

Sed mihi lubricos Apoſtatarum tum veterum tum recentium mores & ingenia perpendenti, inſedit illa ſententia, neminem à Catholica diſcedere, & perire, qui (etiamſi manſiſſent in Eccleſia) ſecretis contra fidem erroribus aut prauis moribus non periiſſent. Hos verò diuinæ prouidentiæ conſilio ab Eccleſia proijci, vt vel ſe tandem perditi agnoſcant, vel Catholicis eiecti ſeruiant, qui ſibi manentes in Eccleſia minimè profuiſſent. Quæ mihi etiam Aurelij Auguſtini ſententia eſſe videtur, cuius aurea verba libet apponere. *Quoniam veriſſimè dictum eſt, Oportet multas hæreſes eſſe; vt qui probati ſunt, manifeſti fiant, inter vos, vtamur etiam iſto diuinæ prouidentiæ beneficio. Ex his enim hominibus fiunt hæretici, qui etiamſi eſſent in Eccleſia, nihilominùs errarent. Cùm foris autem ſunt, plurimum proſunt: non verum docendo quod neſciunt; ſed ad verum quærendum carnales, & ad verum aperiendum ſpirituales, Catholicos excitando.* Ita Auguſtinus. Nominare poſſem Apoſtatas mihi olim notos, qui cùm Catholici alijs & ſibi etiam viderentur, ſecretis tamen aduerſus Romanam fidem & ſedem opinionibus

De vera relig. c.8.

&

& odijs tenebantur. Sed tu vnus, Antoni, exemplar inſtar multorum es. Nam vt omittam poſtremi decennij tui in fidem Catholicam non obſcura odia, qui Romanam doctrinam (vt tu ipſe fateris) ſuſpicione non carere ſemper exiſtimaſti; quid tibi ad ſalutem externa Catholici ſpecies & profeſſio valuiſſet? qui latére in hæreticorum ſcriptis fidem Catholicâ firmiorem ſemper es ſuſpicatus, quid profuiſſet ab eorum libris oculos, à Synagogis corpus abſtinuiſſe? Perijſſes occultè, nec te (quæ tua vecordia fuit) perire ſenſiſſes. Nunc palàm erras, vt multi erudiantur; publicè peris, vt plurimi ſalui fiant. Quidni verò tuus hic lapſus tibi etiam ſit ad ſalutem? Non ego deſperem, quin, vbi porcorum (quibus, paſtor olim ouium, nunc paſcendis in villa præficeris) ſiliquę tibi viluerint, paternæ domus recordaberis; flagelloque edoctus quantum malum ſecreta ſuperbia ſit, reuerſus ad Catholicam, dices, PERIISSEM, NISI PERIISSEM. Vale, & dum tempus habes, conſule tibi.

FINIS.

TYPOGRAPHVS BENEVOLO LECTORI S.

DVm hæc typis excuderem, & auctor abeſſet, accepi à fide digno amico meo hiſtoriam illam de Segnienſibus à Marco Antonio proditis, quam paginâ 48. lineâ 6. inſerui, à verbis *Adeſdum*, vſque ad VI. Gradum. Quę ego quidem, auctore non conſulto, interſerui, quia & ad detegendum lupum ſub ouinâ pelle, & ad docendum Lectorem quibus ille artibus Archiepiſcopus, & quibus ſceleribus Apoſtata factus ſit, eo loco opportunè valdè apponenda mihi videbantur. Lector, boni conſule.

*RE*ctiſſimè hic libellus contra Marcum Antonium de Dominis olim Archiepiſcopũ Spalatenſem, nunc Apoſtatam typis mandabitur. Nam communem viam hæreticorum deſcribit, quâ omnes primarij quotquot ſunt, octo impietatis gradibus deſcendunt, vt in octo damnationis voragines incidant: ſi fortè Dominus Deus dederit gratiam illi, vt à diaboli laqueis erutus, ad meliorem frugem ſeſe recipiat. Quod cenſeo 5. Maij anno 1617.*

Egbertus Spitholdius S. T. L. Canonicus & Plebanus Antuerp. librorum Cenſor.

Summa Priuilegij.

ALBERTVS & ISABELLA CLARA EVGENIA, Archiduces Auſtriæ, Duces Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Sereniſſimi Belgarum Principes, diplomate ſuo ſanxerunt, nequis librum, cui titulus, *Synopſis Apoſtaſiæ M. Antonij de Dominis, olim Archiepiſcopi Spalatenſis, nunc Apoſtatæ*, præter Heredum Martini Nutij & Ioannis Meurſij voluntatẽ, intra ſexennium in Belgio imprimat, aut alibi impreſſum in has Inferioris Germaniæ ditiones importet. Qui ſecùs faxit, confiſcatione librorum & aliâ graui pœnâ mulctabitur: vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ, 8. Maij, anno 1617.

Signat.

FINE

Steenhuyſe.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE